

kat.komp.
36190
I
Mag. St. Dr.
P

THEOLOGIA.
N. 1032

Pro Bibliotheca Almae Universitatis Cracoviensis offert Author ejusdem Universitatis indignus Filius et Discipulus.



36190
I

Ex...
S...

NORMA
VITÆ APOSTOLICÆ
Partim ex Vocatione, Probatione, & Professione Apostolica, partim ex Theologicis, Cardinalibus & reliquis virtutibus moralibus Apostolicis.
COLLECTA
&
VNIVERSO ORDINI APOSTOLICO,
Canonicorum Regularium,
Imò omnibus illis qui Vitam Apostolicam imitari conantur ad imitationem
PROPOSITA.

A
M. IACOBO RADLINSKI, *Sacræ Th: Doctore, ejusdemq; in Canonica Cracoviensi ad S. Hedvigim Professore, Canonico Regulari Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri* CHRISTI *Domini, Consiliario Con. Generalis Miechoviensis, P. Ch.*

Sanctorum Vita cæteris NORMA vivendi est.
D. Ambrosius super Genesis Caput 57.

CRACOVIÆ
Typis Jacobi Matyaskiewicz, S. R. M. Typographi:
Anno Domini 1725.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

In Avitum Stemma
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
ZADORO-RVSSOCCIANÆ



36.190
I.

I.

Quid LEO diffusis portendit pectore flammis?
Succensos ad quid digerit ore focos?
Luceat ut Throno vigilet pro Corde Senatûs,
Pro Patria tutor sit pius, atq; Fide:
Hostibus ut noctem spargat, pro sponte sequenda,
Ut NORMA VITÆ proferat Ille diem.

II.

Quinq; gerit flammas, quatuor collustret ut Orbis
Partes: lustrando quinta relicta Polo,



ILLUSTRISSIMO
ET
MAGNIFICO DOMINO
D. STANISLAO
ZADORA
de BRZEZIE
RUSSOCKI,
Primæ Cohortis Gv. S. R. Majestatis, ac Reipublicæ Polonæ
MAJORI
PRÆFECTO,
Ad Generalia Comitia Regni Palatinatûs Cracoviensis
LEGATO, &c.
Domino & Mecænati Colendissimo.

LIcet *cum* Norma Vitæ Apostolicæ *Tuo* Nomini *sacra compare-am ante conspectum Tuum, nullam ta-men vivendi normam Tibi propono.*

ILLVSTRISSIME LEGATE. Norma hæc proposita est solùm illis, qui Vitam Apostolicam vel modò primum discere incipiunt, vel aßequi desiderant, Tu autem prius ipsô factô Vitam Apostolicam in Te expreßisti, antequam ego de Norma illius proponenda cogitarem. Apostolicæ Vitæ speciale indicium & officium est, à primo Vocationis instanti armis nasci, bellis nutriri, certaminibus educari, præliis succrescere, conflictibus adolescere, maturescere, & tandem intra strepitum ferri consummari: hæc singula Heròúm Maximè implevisti: natus es non tam mundo quàm armis non tam lacte materno quàm bellis nutritus es: prælijs succrevisti, certaminibus adolevisti, maturuisti; & tandem consummationis Tuæ coronam non aliam expectas, nisi Martialem & Civicam, qui Tua dexteritate tot Cives servâsti, quot hostes Patriæ insidiantes attri-

attrivisti. Sicut autem armis & inter arma natus es, ita statim à primo juventutis flore signis Cæsareis non auro sed fortitudine promovente adscriptus stetisti: ibiq; evidens in Te documentum dedisti, quantum valeat invictus Zadorarũ: Russocciorum LEO! ita enim gloriosè rem bellicam tractâsti, ut contra hostes non tam arma, quàm ignem & fulgura spirares, quos verò in acie Martiali frigidos advertisti, eosdem Flammâ Patriâ accendisti. Ne tamen innatos generosæ mentis igniculos, nimis coarctares, eosdem extra Martis aciem in campum Palladis extendi fecisti, injuriam Domus Illustrissimæ, & Gentis Tuæ ratus, si ignitis belli exercitijs scientiarum & virtutum lumen non adjungeres. Vnde licet rei militari acerrimè incumberes, licet nullum articulum, imò nec unum iota, vel apicem belli intermitteres, ta-

men hæc omnia ita prudentissimè ordinâsti, ut simul & scientiarum exercitijs Tuum tempus & horam non subtraheres. Quare brevi factum est, quòd plùs ad Patriam Gentilitiamq; Flammam, quàm alij ad Cleantis lucernam, profeceris. Qui hæc in Te virtutum & scientiarum incrementa viderant, admirari vel imitari cogebantur: qui verò livore obstante videre nolebant, eos Patriâ & Gentilitiâ flammâ illustrabas, quá circumfusi, negare id non poterant, quod clarissimum & illustrissimum in Te eminebat: difficile enim fuerat tunc cæcutire, cum Tu etiam media nocte Virtutum Tuarum meridiem in aperto explicares. Plurimi sub hac specie domestica Vistulæ relinqvunt littora, vicinosq; Danubij aspernantur fontes, ut de Sequana majores, dulciores & uberiores tam doctrinæ quàm belli hauriant alveos: Tu verò

scien-

ſcientiæ, eruditionis, pietatisq; Chriſtianæ fluenta, non à Sequana vel alio quocunq; extero littore bibiſti, ſed jam plenus virtutum, exterum adijſti Solem, dans exemplum finitimis gentibus, eſſe nata in Polonia, & virtutibus & ſcientijs Nomina. Et certè ita pertinebat ut ſtrenuiſsimus ZADORARUM RUSSOCCIORUM LEO *ad regnandum & imperandum natus, non ſolùm intra Patrios ſed etiam extraneos limites, felix Regnator virtutum in Te appareret: qui ideo ſine corona in patrio eminet campo, ut orbem totum doceat* ZADORAS: RUSSOCCIOS *Regnum non ſucceſsione, ſed virtute & dexteritate mereri: vel quòd* ZADORÆ: RUSSOCCII *aurea Coronarum faſtigia non ambiant, contenti his ſolis, quæ illis propria fortitudo & pietas Chriſtiana nexuerit. Quod ſi cujuspiam indagatrix curioſitas Leonem*

ZADORARUM: RUSSOCCIORUM sine corona Regem profundiùs scrutari voluerit, hoc non casu sed altò fatorum consilio factum est, nimirum ut Tu ipse Heroúm Maxime Gentilitij Leonis Coronator existas; nulla enim ipsi gloriosior, felicior, & pretiosior Corona inveniri vel adhiberi potest, quàm Tu ipse, Tua merita, & Regnator animus Tuus. Hunc Regnatorem animum diligenter aspexit in Te triumphatrix Romani Imperii Aquila, & ideo diutiùs optavit suas intra alas Te contineri, sed Tu genuinus Polonæ albæ Aquilæ Filius candorē squallori prætulisti, rediisti ad nidum unde prodieras, daturus eadem exempla domi, quæ extra latissimè diffuderas. Ne verò natam ad summa indolem otiô corrumperes, statim à signis Imperialibus ad signa Polono-Lithvana triumphale fixisti vestigium, in primoq; limine susceptæ militiæ, in

solu-

ſolubile cunctis objeciſti dubium, illuſtriorne gentilitiâ Tui Leonis flammâ? an dexteritate fueris? Cæterum brevi intervallo experientiâ docuiſti, quòd ex utroq; Cæſar, ex utroq; illuſtriſsimus & commendatiſsimus extiteris; in hoc tamen glorioſiſsimus, quòd in Martiali campo non fueris contentus avito Majorum Tuorum igne illuſtrari vel domeſtici Leonis fortitudine gloriari ſed Tu Ipſe ubiq; LEO inſuperabilis, ſtetiſti. O quàm ſecurum fuit Avitum Caput Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Domini D. STANISLAI DENHOFF Palatini Polocenſis Exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ Campi Ducis, cum illud Cuſtos Imperii Tua Flamma Gentilitia cuſtodiret, & invictus LEO muniret! ô quam feliciter, cogitavit conſilia & ſtratagemmata belli! ô quàm ſublimes aperuit ſenſus pro integritate Eccleſiæ & Patriæ proficuos! quando

Tu ipse LEO *conclusisti ora Leonum Regno insidiantium. Tanta dexteritas traxit cor Serenissimi AVGVSTI II. Poloniarũ Regis Invictissimi quare ab exercitu Magni Ducatus Lithvaniæ transfert Te ad Regia Castra Sui exercitus; & optimè factum: Aviti Gladii Serenissimi AVGVSTI II. præferuntur & præsentantur sine manu, Tuus pariter Gentilitius LEO prostat sine armis, sine ullo Gladiò, solâ Flammâ munitus: ut ergo Tuo LEONI sua non desint arma, Serenissimus AVGVSTVS II. semper Augustus imò Augustissimus, Suæ Te MAIOREM Præfectũ designat Cohorti, ut Ejus Ducalib9 Gladijs, Tuus Princeps militet LEO, & tandem coronam Gladijs vicinã mereatur. Eadem dexteritas traxit cor* Illustrissimi STANISLAI CHWALIBOG Subdapiferi Cracoviensis, *deinde* Castellani Sandecensis: *proinde ut*

non

non solùm fortiter, sed etiam sapienter militare valeas, Suam Tibi Magnorum Talentorum Filiam SOPHIAM *veriùs* Sapientiam, *in Consortem adjungit. Quid ampliùs in Heròë Polono quæri & requiri potest quàm Sapiens fortitudo & fortis Sapientia? hoc utrumq; in Te triumphali conjunctum est fœdere quia* LEO *Patrius fortitudinem,* SOPHIA *Consors loquitur designatq; Sapientiam: ne autem tam fortitudo quàm Sapientia sterilescat, stimulum addit Avitum Calcar* Illustrissimorum CHWALIBOGORUM. *Cæterum sicut Tibi, ita & Illustrissimæ Consorti Tuæ, non sunt addenda calcaria, non adhibendi stimuli ad virtutem pietatemq; Christianam; sed quandocunq; hæc in praxi exercenda venit, ambo non tam curritis quàm volatis, ut profectum & incrementum consummatæ perfectionis capiatis.*

Tandem eadem dexteritas con juncta pietati traxit cor Palatinatus Cracoviensis, qui ut melius Majestati totiq; Patriæ peroraret, Te Oratorem & Legatum *ad Comitia Generalia Regni unanimi voto elegit. Neq; conceptam de Te electo spem totius Nobilitatis frustrari permisisti, imò ultra spem & opinionem omnium tanta activitate munus Legationis Tuæ obiisti, ut omnium* Oratorum *etiam* Extraordinariorum *vultus in Te converteres. Obstupuit Roma quando sedente in Cathedra Petri Vrbano VIII. Ossolinium, Innocentio* XI. *audivit Ducem Radzivilium: magis obstupuit Polona Majestas dum Te* Legatum *&* Oratorem *pro integritate Ecclesiæ, & Patriæ loquentem aspexit. Proponebant alii in illo consiliorum & liberæ vocis Theatro, negotia Regnorum, Tu fidei; zelabant alii pro integritate Pa-*

triæ

triæ, Tu pro juribus Eccleſiæ; vindicabant alii contemptas leges, violata jura, abjecta ſtatuta Comitiorum, Tu hæc omnia cum omnibus ſentiebas, cæterum primariò & ante omnia vindicabas contemptum honorem DEI, inſurgebas contra violatores ſecuritatis publicæ, tonabas non tam verba quàm fulmina, contra blaſphemas turbæ ſeditioſæ voces, Tuaq; dicendi activitate effeciſti, ut ſacrilegi auſus & tumultuantia ſcelera, ad æqualitatem plecterentur. Neq; hic terminatus eſt pietatis Tuæ in Eccleſiam zelus proceſsiſti ulteriùs dilatâſti ſatis ampliſſimè munificentiæ Tuæ dexteram, cum pro reparandis Eccleſiæ Chelmenſis ruderibus, tantùm auri effudiſti, quantum alius nec plumbi effunderet. O felicem ævi noſtri pro DEO zelatorem! qui & jura Eccleſiarum nutantia tam glorioſè defendis, & ruinas earundem

tam

tam liberaliter restauras! ut orbem universum doceas; quòd non sufficiat dispersas per folia & volumina leges tueri, nisi simul fundamenta & initia legum conserventur. Et hæc legum Sacrarum tuendarum, Ecclesiæq; conservandæ pietas, ac invicta fortitudo innata est Illstrissimæ Domui ZADORO. RVSSOCCIANÆ *quæ sicut sub fortissimo & victoriosissimo Rege Boleslao Kryvousto circa Annum millesimum de Britannia ortum accepit in Orbe Polono, ita semper gloriosæ fortitudinis experimenta dedit. Non adduco in hanc paginam Prebdorium & Pacoslaum*, ZADORAM, *quos Serenissimus CASIMIRUS Poloniarum Rex Potentissimus, propter merita belli speciali liberalitate coronavit. Non refero* Nicolaum & Sbigneum ZADORAM *Supremos Regni Mareschalcos intuitu dextea*

rita-

vitatis Heroicæ; unus pro millenis sufficiat STANISLAVS ZADORA Capitaneus Camenecensis, *deinde* Castellanus Sandomiriensis, *Vir hic strenuissimus, quantum vitæ & sangvinis pro Patria effuderit, constat vel ex eo quód ad Bilcam & Wisniowecіam viginti millia Tartarorum illius stratagemmate, consiliô, & vigilantiâ cæsa fuerint, captivorum autem sexdecim millia liberata. Ad eundem numerum spectat PRÆDISLAVS ZADORA Capitaneus Chmielnicensis sortis fortunæq; militaris peritissimus, qui Majorum Suorum exempla secutus nunquam ex Campo sine fructu bellico rediit, plurimosq; Tartaros captivos effecit. Omitto sexcenta imo millena* Illustrissimorum ZADORARVM Nomina, *taceo* ZADORAS Palatinos Russiæ & Podoliæ, *quia illis revolvendis hæc pagina nō sufficit, quibus*

vix

vix æternitas par eße poßet. Quòd si pietatis ZADORIANÆ *monumẽta spectabimus: cælos adæquat orbem hunc excedit.* VALTERVS ZADORA ex Scholastico Cracoviensi Episcopus Vratislaviensis, *cum aurea Tyara ligneam Ecclesiam Cathedralem Vratislaviensem invenit eamq; muro à fundamentis erectam, pro documento posuit* ZADORIANÆ *pietatis. Nec sola Ecclesia Vratislaviensis est documentum* ZADORIANÆ *pietatis, prodeat in publicum & Ecclesia Oświecimensis, hanc quantum dotarunt* ZADORARVM *dispersæ cum Sole manus admirari poßumus non eloqui. Neq; Majorum Sua liberali dotatione contentus fuit* Perillustris & Reverendissimus HIERONYMVS ZADORA *de* Brzeźie RVSOCKI *Cathedræ Cracovien:* PRÆLATVS, *sed aurum auro addidit utq; Ecclesiam Oświecimensem*

Sua

Sua munificentia perpetuò illustraret, totum pro ea dotanda aperuit ærarium. Eadem vestigia premebat Illustrissimus & Reverendissimꝰ HIACYNTHVS ZADORA *de* Brzeżie RVSSOCKI Cathedralis Camenecensis Præpositus, Posnaniensis *tum deinde* Cracoviensis Canonicus, Supremus Regni Coronarum CVSTOS *hoc ipsum æmulabantur & alia* Illustrissima Domus Tuæ *cognata decora*, *MALICCII, CICHOCCII, CHWALIBOGOWII, LANCKORONSCII, CHRZĄSTOWSCII, WŁODZISŁAWII, BROCHOWSCII,* PASZ*KOWSCII, LĘTOWSCII, DĘBINSCII,* GOGOLINSCII, *WAXMANOWII, cæteriq; innumeri. Sed quid antiqua monumenta refero? apertissimum pietatis & fortitudinis* ZADO*RO-RVSSOCCIANÆ documentum est Magnus Progenitor Tuus* VLADISLA-

SLAVS de Brzezie RVSSOCKI Thesaurarius Palatinatus Cracoviensis: *Vir hic æquè piissimus ac dexterrimus, Norma & Exemplar Antiquo: Polonæ simplicitatis, veritatisq́ue non fictæ tam in Ecclesiam quam in Patriam: pro qua utraq; quantum sudaverit, quantum laboris & sollicitudinis adhibuerit sæculorum negotium est. Quem latuit ipsius pietas, quando ad Generale Tribunal Regni* Iudex Deputatus *in Areopago Lublinensi ac Petricoviensi comparuit? currebant ad eum oppressi & vindicabantur, refugiebant injuriati, & solatia injuriarum reportabant. Dividebat aurium officia Actori & Reo, tandem veritate negotii sufficienter discussa maturum de rebus ferebat judicium; quibus autem nervus prosequendæ justitiæ deerat, his de proprio ærario annonam subministrabat quo ipso jam præ-*

præsignabat, quantus futurus esset Thesaurarius, qui non Regni, sed suos thesauros in pauperes expenderet. Quod si cætera tanti Viri negotia & munia à Palatinatu Cracoviensi sponte oblata discutere voluerimus, eum in omnibus experiremur Maximum. Nec in solo Progenitore Tuo desinit pietas Illustrissimæ Domus ZADORORVSSOCCIANÆ, eminet etiam optimè in Magno Fratre Tuo Paterni Nominis & virtutis Hærede VLADISLAO Præposito Scarzeszoviensi; sed quia splendores Avitos sub purpura Crucis Ordinis Nostri abscondi voluit, encomia ipsius adferre hîc non convenit, optare tamen decet, ut post susceptos pro DEO, Ecclesia, & Religione labores evadat Corona Patris, Fratris gloria, Ordinis Nostri æviternum solatium. Spectat tandem ad coronamentum Domus Illustrissimæ

Magnifica BARBARA WAXMANOWA Venatorissa Laticzoviensis, *hæc nihil barbarum, nisi Nomen & virtutes BARBARÆ continet, pietate cultissima, moribus politissima, majestate gravissima, Heroinarum Polonarum idea & compendiũ: digna cui* Magnificus MICHAEL WAXMAN Venator Laticzoviensis, *in coronam vitæ virtutumq́; cederet; dignus & Ille cui in præmium meritorum pro Patria tanta Consors eveniret. Reliqua* Illustrissimæ Domus ZADORO-RUSSOCCIANæ *Nomina vel potius Numina splendore dicendi non adorno, quia satis meritorum suorum claritate & gentilitio Igne noscuntur: cujus Ignis Flammæq́; luce ut etiam* Norma Vitæ Apostolicæ *illustretur eandem* Tuo Illustrissimo *adsterno Nomini.*

ILLUSTRISSIMÆ MAGNIFICENTIÆ TUÆ
Devinctissimus
M. IACOBVS RADLINSKI, Canonicus Regularis S. H. Sepulchri.



PRÆFATIO
Ad Lectorem.

QValem aliquis professionem, statum, & conditionem amplectitur, taliter vivere debet. Eligit sibi quispiam professionem militarem, aut equestrem, jam eò ipsò juxta militares & equestres articulos vitam suam componere debet; quod si eligat sibi professionem religiosam, vg. Dominicanam, Franciscanam, Carmelitanam, vel aliam quamcunq; pariter eidem professioni in omni puncto, ratione, & modo, mores suos conformare tenetur. Quælibet enim professio, non hoc fine arripitur ut in illa arrepta vivamus sicut volumus; sed potius hôc, ut in illa suscepta, vivamus ita, sicut eadem professio

exigit. Simili modo propter paritatem rationis, qui sibi professionem vel Institutum eligit Apostolicũ, extra omne dubium, debet vivere Apostolicè. Et quia omnis ille, qui ingreditur Ordinẽ Canonicum, in eoq; vota professionis emittit, hic eò ipsò, eligit sibi professionem, statum, & Institutum Apostolicum, ideoq; debet vivere Apostolicè. Quòd autem ille, qui ingreditur Ordinem Canonicum, in eoq; vota substantialia emittit, hic sibi eò ipsò eligat statum, professionem, & Institutum Apostolicum, ratio est: quia Ordo Canonicus suam Institutionem, originem, & normam vivendi, immediatè accepit ab Apostolis ut constat ex Bullis Summorum Pontificum, Vrbani I. Paschalis II. Calixti II. Honorii II. Benedicti XII. Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Sixti IV. Pii IV. & Pii V. quorum Pontificum Bullás seu textus in quibus asseritur Apostolos esse Institutores Canonicorum Regularium & Canonicos Regulares suam originem ducere ab Apostolis refert fideliter Pennottus (a) ex

(a) *In Historia Generali Ordinis Canonici lib. 2do Cap. 3.*

Con-

Congregatione Lateranensi Abbas S. Juliani apud Spoletum. Ne tamen rem hanc nudè proferam adfero hic Bullam Pii IV. Pontificis Maximi latam pro parte Canonicorum Regulariũ in causa de præcedentia cum Benedictinis agitata, in qua Bulla sic loquitur Summus Pontifex. *Comperto satis per eos* (scilicet Cardinales) *ex compluribus literis Apostolicis, diversisq; alijs documentis, & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis clericis à S. Augustino quinimò à S. Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ antiquæ Institutionis hujusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, quâ eos statim quòd Professionem Regularem emittunt insignitos oportet esse.* Et infra: *Unde nos illorum* (Cardinalium) *relatione intellectâ eaq; per nos diligenter examinatâ, quoniam in omnibus suis partibus veritati & juri consonam &c:* Ex hoc Bullæ contextu infert solidissimus Doctor Suarez lib: 3. de Religione Cap: 3. num. 6to: *Ecce ex Pontificis & Cardinalium testimonio Apostolos Religionem Clericorum instituisse, vel potiùs congregâsse, quod testimonium non solâ relatione dicen-*

tium, sed magnis rationibus & probationibus ac antiquioribus literis Apostolicis dicitur fuisse fundatum; & in eodem insinuâsse clericos illos ab Apostolis institutos continuâ successione usq; ad Augustinum, & ab Augustino usq; ad Pium IV. usq; ad nostram ætatem conservati sunt. Et huic etiam consonat, quod Possidonius in vita Augustini Cap. 5to ait; Augustinum Presbyterum factum, servos DEI juxta Apostolorum Regulam secũ congregâsse. Hactenus Suarez.

Sed non quærendo testimonia externa, quando habentur domestica, hoc mihi sufficit, quod in Religione mea certum & indubitatum est, nimirum quòd illa procedat & deducat suum Institutum, ab uno ex Sanctis Apostolis, nempè à Sancto Jacobo Apostolo Fratre Domini, Primo Episcopo Hierosolymitano, ut testatur Historia Ordinis Nostri, adeoq; ulteriùs certum est, quod Religio nostra & quilibet in particulari Canonicus noster, debeat vivere Apostolicè. Hoc autem ut faciliùs fieri possit, visum est mihi, proponere omnibus Normam seu Exemplar Vitæ Apostolicæ, ut quilibet nostrum habendo il-

do il-

do illud præ oculis, omnes mores suos, totamq́; vitam suam conformet ad prædictum Exemplar, & sic in imitatione Vitæ Apostolicæ, evadat Vir Apostolicus: & hic finis meus, hic scopus, & meta operis præsentis.

Licèt autem præcipua occasio & motivum scribendi operis præsentis sit hoc, quòd Religio mea sit Instituti Apostolici, tamen illud ita dispono, ut non solùm meæ, sed etiam aliarum Religionum Canonicis, immediatè ab Institutione Apostolica descendentibus, (imò omnibus illis quicunq́; Vitam Apostolicam imitari conantur vel conabuntur) inservire, accommodari, & prodesse possit, vitam enim Apostolicam, non solùm Canonicis, sed etiam omnibus & toti Ecclesiæ imitari, (licèt non eodem modô) concessum, & propositum est, non eôdem inquam modô, nam Canonici Regulares tenentur imitari Vitam Apostolicam ex vi Professionis & Instituti sui, cætera autem membra Ecclesiæ nullis votis obstricta nonnisi ex beneplacito & amore perfectionis acquirendæ, vel ex aliquo con-

ſilio CHRISTI Domini, & Eccleſiæ. Canonici Regulares ſtatim poſt tempora Apoſtolorum, vivebant ſecundùm Regulam Apoſtolicam ab ipſis Apoſtolis traditam, & ab illis primitivæ Eccleſiæ Clericis obſervatam; jam autem exortæ poſt aliquot ſæcula Religiones, juxta dictam Regulam non vixerunt, quia nondum fuerunt in rerum natura, ſed à ſuis Fundatoribus, Regulam, Conſtitutiones & Inſtitutum acceperunt, conforme quidem moribus Apoſtolicis ſed in multis quo ad multa accidentia, diverſum ab Inſtituto Apoſtolico, Canonicis Regularibus tradito, & ab illis obſervato, ut patet in ſacerrima & ampliſſima Religione Benedictina, Seraphica, & alijs plurimis. Poſito autẽ hòc ſemel, quòd Canonici Regulares in illa primitiva Eccleſia vixerint Apoſtolicè per aliquot ſæcula, & aliqui hanc vivẽdi Normã uſq́ ad tẽpora S. Auguſtini cõtinuaverint (ut cõtinuaverũt noſtri Sacroſanctæ Patriarchalis & Cathedralis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Canonici) etiã nunc ſecundùm eandẽ Vitæ Apoſtolicæ Normam, vivere debent, quia à

ſuo

suo primo Instituto licitè deficere non possunt, deficerent autem, si prædictô Vitæ Apostolicæ modô se gerere negligerent. Verum autem Canonici Regulares differant specificè ab alijs Sacris Ordinibus per hoc, quòd procedant ab Apostolis, (quod negare videtur (a) Rn̄dissimus Joannes Matuszevius, Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensiũ Præpositus Generalis per Poloniam, & Magnum Ducatum Lithvaniæ) de hoc disputare nolo! sufficit mihi ad intentum meum, quòd Canonici Regulares (præsertim Ordinis nostri) immediatè descendant ab Apostolis, ab illisq; sumant saltim in aliqua ratione Institutum (quod concedit immediatè citatus Author) adeoq; ulteriùs debent vivere Apostolicè. Quòd ut præstare possint, conveniens est ut habeant propositum Exemplar Vitæ Apostolicæ, & hoc ego in libello proponere intẽdo.

Induxit me ad hoc, (præter jam allatum finem) *1mo* dignitas, amor & veneranda antiquitas Instituti nostri Apostolici, *2do* abusus ille multorum,

(a) *In libro, cui titulus Canonicus Regularis explicatus num. 39.*

 qui

qui libenter gloriantur, origine, antiquitate Instituti Apostolici sed non vivũt Apostolicè. Porro non antiquitas Instituti, sed imitatio Vitæ Apostolicæ, facit nos Viros Apostolicos: non sola dignitas originis, sed æmulatio morũ Apostolicorum probat nos ab Apostolis descendere. Parùm est originem ab Apostolis ostendere vel demonstrare, si eam vita & factis negemus. Quid profuit Judæ, quòd ille fuerit Instituti & Collegii Apostolici? quando moribus suis illud negavit? ecce suspensus crepuit medius & Episcopatũ ejus accepit alter: pariter & nobis nihil proderit, quamvis fuerimus Instituti Apostolici, si nõ componemus mores nostros juxta Canones Apostolicos. *3tio* Induxit me ad hoc Exemplar proponendum, hoc motivũ, ut venientes ad regularem vitã Ordinis nostri, statim in prima fronte habeãt, discãt, & sciant quale amplectamur Institutùm, quod cum didicerint, ut simul habeant, Exemplar juxta quòd mores suos, totãq; vitã cõponere possint.

Quarto induxit seu permovit me ad præsens Exemplar proponendum. incom-

incomparabilis utilitas proveniens ex Imitatione Vitæ Apostolicæ, quicunq; enim Canonici Regulares, integræ Vitæ Apostolicæ Normam & Exemplar imitati sunt, ita fructuosè in Domino profecerunt, ut jam alias Religiones amplissimas fundaverint, & sic Divus Bruno Canonicus Regularis Ecclesiæ Rhemensis fundavit præclarissimum Carthusianorum Ordinem, Ludovicus Balbus Patritius Venetus Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini, postea Episcopus Tarvisinus, fuit primus Author Congregationis Cassinensis, Sanctus Dominicus Ecclesiæ Oxemensis Canonicus Regularis, instituit amplissimum, piissimum, & doctissimum Ordinem Prædicatorum, Albertus Patriarcha Hierosolymitanus antea Canonicus Regularis S. Crucis Mortariensis, scripsit Regulam Candidissimo Ordini Carmelitarum, ipsi quoq; Canonici Ordinis Nostri duos alios Ordines ad defensionem fidei & Sacrosancti Sepulchri, ac omnium peregrinorum illud visitantiũ instituerunt: ut cõstat ex Historia Ordinis, & ex Basilio Serenio dicẽte:

Ipsi

Ipsi Clerici Canonici, Domini Sepulchri Custodes, jam ab initio deputati, non solùm ex Apostolica Institutione, ut ex Decreto S. Clementis Martyris patet, sed ex Institutione Godefridi ac Balduini Bullioneorũ, ut ex Bullis Pontificiis constat, & ex eis assumptus Patriarcha; tales (idest Ordines Militares) Ordinem S. Ioannis & S. Iacobi Compostellani ad peregrinorum præsidium instituerunt, quos candida lineaq; Cruce, veluti superpellicei eorum particulâ consignârunt cappaq; Capitulari lineâ, nigrâ, exterioribus eorum paludamentis haud absimili additis Dominicæ Passionis & redemptionis nostræ mysteriis seu instrumentis, quæ sunt gloriosi Sepulchri trophæa, eos investiêrunt Apostolicam illis Sanctissimi Patris Regulam servandam imponentes. Tandem maximum Ecclesiæ Lumen, & Doctor Doctorum Augustinus, quàm primùm ab erroribus suis conversus est, & ad sacros Ordines promotus, statim studuit imitari Vitam Apostolicam ut constat ex Officio illius Festi, ubi dicitur: *Factus ergo Presbyter, Monasterium Clericorum instituit, & cœpit vivere secundùm Regulam, sub Sanctis Apostolis constitutam.* Et Sermone

mone I. de Clericis, ipse testatur, *se vixisse cum Clericis, secundùm formam Vitæ Apostolicæ, quæ describitur in Actis Apostolorum.* quantum autem ex hac imitatione Vitæ Apostolicæ profecerit, testantur ejus innumera volumina, quibus doctrinam Ecclesiæ illustravit, sanctitas admirabilis, quâ totum orbem implevit, testantur & tot Sancti Ordines, qui ejus Regulam profitentur. Omitto alios innumeros Sanctos, ex Ordine Canonico, tam Nostro, quam aliis provenientes, qui Vitam Apostolicam imitando, ita brevi profecerunt, ut coram DEO & toto Orbe maximi evaserint scientia & sanctitate.

Ut ergo etiam modo ex imitatione ejusdem Vitæ Apostolicæ, similis colligatur profectus, in toto hoc opusculo nihil aliud intendam, nisi conabor proponere Exemplar Vitæ Apostolicæ, id autem faciam hôc modô: 1mo deducam qualis fuerit hæc, aut illa virtus Apostolica? & qualiter Apostoli se in illa exercuerint? postquam hoc deduxero, descendam per Apostrophen ad Imitatorem ac Professorem Vitæ Apostolicæ,

& infe-

& inferam, quod etiam ille, talem virtutem æmulari debeat, & taliter se in illa exercere debeat, sicut se exercuerunt Apostoli: ut autem hoc efficaciùs obtineam, adjungam statim motiva seu rationes, propter quas unusquisq; debeat huic aut illi virtuti incumbere. Quare si aliquando erit hic longior Apostrophe, & applicatio ordinata ad Imitatorem Vitæ Apostolicæ, non putes esse vitium applicationis, quia in toto hoc opere non solùm hoc intendimus, ut applicationem faciamus ex deducta principali aliqua virtute Apostolica, sed etiam hoc, ut eandem virtutem persvadeamus, ad eamq; saltim aliqualiter moveamus, & hoc fine statim penes Apostrophen seu applicationem, varia motiva & rationes adjungemus; quæ siquidem pro ratione materiæ, aliquando sunt plura, ideo etiam prædicta applicatio & Apostrophe, ordinata ad quemcunq; Imitatorem Vitæ Apostolicæ erit frequenter oblongior. Deinde in toto hoc opere, prædicta Apostrophe seu applicatio exprimenda, & expressa his vel similibus verbis: *Candide Imitator Vitæ Apostolicæ*; geret vices

prin-

principalis Propoſitionis, in quacunq; materia hic propoſita: jam autem ipſum Exemplar deductum ex Apoſtolis, geret rationem fundamenti & occaſionis, in ordine ad eandem Propoſitionem ſtatuendam. Porro Propoſitio principalis ſumpta cum ſuis rationibus & motivis, debet eſſe longior quam fundamentum, vel occaſio ex qua eadem propoſitio oritur. Sic ergo præcautus hæc omnia ad ſalutem animæ tuæ lege, DEUMq; ſolum in omnibus lauda'

DISPOSITIO OPERIS
&
Fundamentum ejuſdem diſpoſitionis.

VNiverſa Vita Apoſtolica, in tota ſua latitudine ſumpta, quinque dicit. *1mum* eſt vocatio ad Vitam Apoſtolicam. *2dum* eſt probatio ejuſdem Vocationis & Vitæ Apoſtolicæ. *3tium* eſt Profeſſio Religioſa, quam fecerunt Apoſtoli per emiſſionem votorum ſubſtantialium Religionis. Porro quòd Apoſtoli dum viverent, emiſerint vota ſubſtantialia Religionis, ſcilicet Paupertatem, Obedien-

tiam,

tiam, & Castitatem, veritas hæc constat ex S. Augustino, qui lib: 17. de Civit: DEI Cap: 4. sic ait: *Dixerant enim potentes illi: Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te: hoc votum potentissimi voverant, sed unde hoc eis? nisi ab illo de quo hic continuò dictum est, dans votum voventi? alioquin ex illis essent voventibus, quorum infirmatus est arcus &c:* Item de Sancta Virginitate Cap. 4. inquit: *Virgo fuit CHRISTVS natus de Virgine; qui quidem Virginitatem vovit, & paupertatem, atq; obedientiam, usq; ad mortem consecravit in seipso & varijs rationibus allectos ad insigne illud vivendi genus Discipulos confirmavit.* Consonat & S. Thomas qui secunda 2dæ Quæst: 88. Art: 4. ad tertium scribens, docet: quod Apostoli vo- verint substantialia, sive pertinentia ad statum perfectionis, inquit enim ibi: *Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando CHRISTVM relictis omnibus sunt secuti.* Idem docet solidissimus Doctor Franciscus Suarez qui Tomo tertio de Religione Cap. 1. num. 15. & in alijs locis deducit, quòd Apostoli vota substantialia Religionis emise.

emiserint ibi num: 9. sic inquit: *Addo verò insuper etiam CHRISTUM quandam Religionem fecisse in particulari, ad eandem quosdam homines congregando, eisq; proprium ac particularem modum vitæ Religiosæ tribuendo declaratur. Nam CHRISTUS Apostolos vocavit ad verum proprium statum Religiosum assumendum, hoc ex parte supra ostendimus, quando agentes de tribus votis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, Apostolos verè ac propriè illa emisisse probavimus. Non enim utcunque illa emiserunt, sed ut pertinentia ad statum perfectionis.* Accedit & authoritas eruditissimi Cornelii à Lapide, qui scribens in Cap. 5. Actuum Apostolorum versu 2do expressè inquit: *Si primævi fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem* (mox subjungit etiam de castitate & obedientia) *multò magis eam voverant Apostoli, eorum in virtute Duces, Sanctitatis & perfectionis Magistri, ac Evangelicorum consiliorũ præcones, exemplô magis quàm verbô.* Quoniam itaq; ex una parte Apostoli emiserunt vota substantialia Religionis ut immediatè deduximus; ex altera parte quo-

niam certũ eſt quòd Canonici Regula-
res procedant immediatè ab Apoſtolis,
ſuamq́; Inſtitutionem deſumant ab illis,
ut in Præfatione oſtendimus; ergo con-
gruentiſſimum eſt, ut Canonici Regu-
lares vivant Apoſtolicè, mores, actio-
nes, totamq́; vitam ſuam cōforment ad
Vitam Apoſtolicam. Et hæc duo ſcilicet
emiſſio votorum ſubſtantialium Religi-
onis ab Apoſtolis, & origo eorundem
Canonicorum Regularium ab Apoſto-
lis proveniens, eſt principale funda-
mentum, baſis, columen & motivum,
propter quod, præſentem libellum ſcri-
bere aggreſſus ſum, & Canonicis Re-
gularibus perſvadere, quòd illorum
principale propoſitum & Inſtitutum ſit
vitam Apoſtolicam imitari.

Quartum quod dicit Vita Apoſto-
lica, ſunt virtutes Theologicæ & Car-
dinales. 5*tum* ſunt reliquæ virtutes mo-
rales ad perfectionem profeſſionis Apo-
ſtolicæ ſpectantes. His poſitis pro fun-
damento præſens opus in quinq́; partes
diſponam. In prima proponetur Exem-
plar Vitæ Apoſtolicæ, ex Vocatione A-
poſtolica collectum. In 2da propone-
tur

tur Exemplar Vitæ Apoſtolicæ ex probatione Apoſtolica collectum. In 3tia proponetur Exemplar Vitæ Apoſtolicæ, ex Profeſſione Apoſtolica, ſeu, ex votis ſubſtantialibus Religionis emiſſis ab Apoſtolis, collectum. In 4ta proponetur Exemplar Vitæ Apoſtolicæ ex Theologicis & Cardinalibus virtutibus collectum. Tandem in 5ta proponetur Exemplar Vitæ Apoſtolicæ, ex reliquis moralibus virtutibus collectum.





INDEX
RERUM NOTABILIORUM APOSTOLI.

Apo-

Finis

D

E

F

Obe:

Privi-

RELIGIOSVS.

pore

Signa-

APRO-



APPROBATIO ORDINIS.

Librum hunc cui titulus: *Norma Vitæ Apostolicæ* ab Admodum Reverendo Patre M. IACOBO RADLINSKI, Sacræ Theologiæ Doctore & Professore Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Sepulchri Hierosolymitani &c; &c: compositum studiosissimè perlegi, nihilq; in eo Orthodoxæ fidei contrarium, aut bonis moribus repugnans inveni; ideo dignum esse, ut in lucem publicam prodeat judico, modò ijs ad quos pertinet visum ita fuerit. Datum Miechoviæ Die 1ma Augusti 1723.

PETRVS BOROVIVS S. T. D. Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Hierosolymitani Sepulchri Con: Miechoviensis Generalis CVSTOS.

mpp:

APPROBATIO

Reverendissimi Censoris Diœcesani.

OPusculum, cui titulus: *Norma Vitæ Apostolicæ* ; ab Illustri & Admodum Reverendo D. M. IACOBO RADLINSKI, S. Th. Doctore & Professore, Canonico Regulari Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri Christi Domini, Conventus Generalis Miechoviensis Consiliario P. Ch. Viro æquè Religiosissimo ac eruditissimo, non minùs doctè quàm devotè conscriptum, attentè & diligenter legi, quod cùm nihil Orthodoxæ Fidei, bonis moribus dissonum contineat, imò ad imitationem Vitæ Apostolicæ summopere excitet, ideo ut detersâ typi sepiâ in lucem publicam prodeat, do Facultatem. In Collegio Majori Anno Domini 1725. Die 1. Martii

M. MARTINUS WALESZYNSKI, S. Th. Doctor & Professor, S. Floriani, Scarbimirien: &c: S. Michàélis in Arce Cracoviensi Custos. Cancellarius Lanciciensis Montis S. Georgii in Scepusio Præpositus, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Procancellarius, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarius Censor.

mpp.





PARS I.

In qua proponitur Norma seu Exemplar vitæ Apostolicæ, ex Vocatione Apostolica collectum.



Uoniã vita Apostolica (sicut & omnis alia cujuscunq; alterius hominis) incipit à Vocatione Divina eorundem Apostolorum: ideo vitæ Apostolicæ exemplar proponere volendo, 1mo incipiam à prædicta Vocatione. In hac ergo Parte, quinque erunt Capita, 1mum in quo proponetur Exemplar, ipsius Vocationis Divinæ Apostolicæ. 2dum in quo proponetur finis ejusdem. 3tium in quo proponetur exemplar mediorum conducentium ad finem Vocationis Apostolicæ. 4tum in quo proponetur felicitas Vocationis Apostolicæ. 5tum in quo proponentur signa Vocationis Apostolicæ. Proinde sit.

CAPUT I.

In quo proponitur Norma seu Exemplar Vocationis Apostolicæ.

SIcut ille qui vult exprimere normam seu imaginem expressivam Personæ Regiæ, debet sibi 1mo præsentare ipsam omnino Personam Regiam, ita nos dum volumus proponere Normam seu Exemplar vitæ Apostolicæ, ex Vocatione Apostolica collectum, debemus primo exponere ipsam Vocationem Apostolicam, ipsiusque ideam pio lectori repræsentare: quàm primùm autem hanc Vocationem Apostolicam, ipsiusque ideam remonstrabimus, tam primùm statim resultabit Exemplar Vitæ Apostolicæ, ex Vocatione Apostolica collectum, seu patebit immediatè, qualisnam fuerit Vita Apostolica, collecta ex Vocatione Apostolica, consequenter patebit, qualiter devotus Instituti Apostolici Cultor, Imitator, aut Professor, debeat conformare vitam suam ad Vitam Apostolicã, in Vocatione Apostolica consisten-

sistentem, seu collectam ex prædicta Vocatione Apostolica. Porro prædicta Vocatio Apostolica dupliciter considerari potest, vel ex parte DEI, vel ex parte ipsorum Apostolorum. Vocatio Apostolorum considerata ex parte DEI, est ipse actus DEI Vocantis Apostolos. Vocatio Apostolica considerata ex parte ipsorum Apostolorum, sunt illi ipsi actus seu modi, quibus illi secuti sunt Vocationem Divinam. Unde una eademq; Vocatio, nunc appellatur Divina, quatenus est actus DEI, & procedit à DEO vocante: nunc Apostolica, quatenus per illam non quicunq; alius, sed ipsi vocantur Apostoli. Præterea Vocatio considerata ex parte DEI potest dici vocatio activa: jam autem vocatio considerata ex parte ipsorum Apostolorum, potest dici vocatio Passiva. Sicut proportionatè solet discurri in Philosophia de potentia Obedientiali, quæ appellatur activa, inquantùm per illam causa elevata producit effectum, & simul appellatur Passiva, in-

 quan-

quantùm dicta potentia obedientialis recipitur & sustentatur in causa creata. De hac utraque vocatione ut aliquid loquamur, dividemus Caput præsens in duo Puncta. 1mum erit de Vocatione Apostolorum considerata ex parte DEI. 2dum de Vocatione Apostolorum considerata ex parte ipsorum Apostolorum. Proinde sit.

PUNCTUM I.

De Vocatione Apostolorum, considerata ex parte DEI.

IN Vocatione Apostolorum considerata ex parte DEI quatuor expendi possunt, nimirum æternitas, gratuitas, misericordia, & profunditas judiciorum DEI: proinde Punctum præsens, dividemus in quatuor Paragraphos. Itaque sit jam.

§ Primus.

In quo proponitur Vocatio Divina Apostolorum abæterna, seu abæternitas prædictæ Vocationis.

Dum

DUm Vocationem Apoſtolorum conſideratam ex parte ipſius DEI, tractandam aggredior, hoc mihi in illa, primum diſcutiendum expendendumq; occurrit, quòd prædicta Vocatio ſit ab æterna, ſeu facta ab æterno, ante omne eſſe, exiſtere, & operari Apoſtolicum. Vocatio enim Divina eſt actus DEI vocantis hominem, ad aliquod obſequium ſuum, eſt illa operatio mentis Divinæ, quâ cui vult miſeretur, & cui non vult non miſeretur, eſt illa ſuperabundans dignatio DEI, quâ ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui: quilibet autem actus, quælibet operatio Divina, ſive communis toti Sanctiſſimæ Trinitati, ſive propria alicui ſpecialiter & ſingulariter Perſonæ Divinæ, ſinè dubio ita eſt ab æterno, ante ſæcula, ante omnem Creaturam, ſicut eſt ab æterno, & ipſe DEUS. Actus & operationes Divinæ, non eô modô ſumendæ & intelligendæ ſunt, ſicut operationes creatæ: operationes

enim creatæ ſunt tranſeuntes, mutabiles, & eſſentialiter præſupponentes initium & cauſam ſui ut certum ex fide: operationes autem Divinæ, ſicut ſunt permanentes, immutabiles, & eſſentialiter excludentes cauſam ſui, ita & initium, adeoq; ita ſunt æternæ, ſicut eſt & ipſe DEUS. Quorum omnium fundamentum eſt inter alia partim hoc, quòd actus & operationes creatæ, diſtinguantur reáliter à ſuis ſubjectis à quibus proveniunt: partim hoc, quòd proveniant à ſubjectis in tempore, productis, actus verò & operationes Divinæ, præſertim quo ad rectum ſumptæ, (ut loquuntur Doctores) non diſtinguuntur realiter à DEO, ſed in re ſunt ipſe DEUS: nec proveniunt ab aliquo ente producto in tempore, ſed ab æterno exiſtente, proinde ſicut illud ens à quo proveniunt eſt quid æternum, ita & actus illi ſiquidem ſunt idem eum illo ente abæterno, ſunt quid abæternum. Et cum inter hos actus Divinos, ſit etiam Vocatio DEI trahentis Apoſtolos ſvaviter ad obſequium

ſuum

suum, ideo prædicta Vocatio Divina Apostolorum, est abæterna, ante omnem Creaturam, ante omne esse, vel operari illius. Unde nondum in rerum natura erant Apostoli, & jam in mente Divina vocati erant: dum adhuc nihil essent (ut defacto nihil fuerunt ab æterno, sed modò primùm in tempore sunt producti) jam in Decretis Divinis ab æterno præfinitis erant Principes & Statores Ecclesiæ. Perspexit hanc abæternitatem Vocationis Divinæ Doctor Gentium Paulus, & ideo æstimando tantum beneficium DEI exclamat: *Elegit nos* (id est Apostolos omnemque aliam creaturam rationalem) *in ipso* (nempe CHRISTO) *ánte mundi constitutionem*: si elegit? ergo & vocavit: quia vocatio Divina est prior aliquomodo electione ipsius: si elegit ante mundi constitutionem? ergo elegit ab æterno; quia ante mundi constitutionem, nihil penitus erat nisi æternitas propria & intima DEO ab æterno existenti, sinè ullo cogitabili principio, vel causa sui.

Devote Cultor, & ardentissime

Sectator Vocationis Divinæ, si oculos & mentem convertas ad te ipsum, hoc totum evenit, hoc totum factum est, & præstitum tibi ab Omnipotenti DEO in vocatione tua: nimirum & te vocavit DEUS ab æterno, sicut & Apostolos; quia sicut respectu Apostolorum, ita & respectu tui omnia Decreta Divina & actus voluntatis ejus, sunt ab æterno: nihil enim DEO accedit in tempore, sed universa statuta ejus, sunt cum ipso ab æternitate. Adhuc tu nihil fueras, jam DEUS de te aliquid certum statuerat; adhuc tu in mera possibilitate continebaris, & jam DEUS absolutè, quid tecum futurum esset prævia vocatione declaravit. Nondum de DEO cogitabas, imò nec apprehendebas, & jam DEUS de te cogitavit; nondum vocabas DEUM in adjutorium; & jam te DEUS adjuvit vocando: nondum cognoscebas quid esset DEUS? quantus! & quam bonus! & jam te DEUS, quid? quantus? & quàm bonus futurus sis? per suam infallibilem Præscientiam cognovit. O homuncio

miser-

miserrime si intelligeres æternam cogitationem DEI de te! si bene comprehenderes, aut saltim pro modulo tuo concipere velles, factam ab æterno vocationem tuam ad hunc ipsum statum, in quo hic & nunc existis! nullum tempus, nullam horam præterires, quâ DEO te gratum ostendere non curares! sed quia nunquam de hoc beneficio cogitas, nunquam illud investigas, quantum sit! ideò illud vilipendis, aut saltim non æstimas ita sicut æstimare deberes! Ex his diligenter perpende: ab æterno te vocavit DEUS, & tu ab æterno non fuisti illi pro tanto beneficio gratus, quia ab æterno non exstitisti: modò cum ingressus fueris Religionem, recipis & habes in te prædictæ vocationis abæternæ effectum quare saltim modò, cum ipsô factô fruaris vocatione Divina, esto gratus DEO, illi continuò gratias age, & tantô beneficiô DEI non abutaris.

§ Secundus.

In quo proponitur Vocatio Divina Apostolorum gratuita, seu gratuitas prædictæ vocationis.

Se-

SEcundum quod relucet in Vocatione Divina Apostolorum, est hoc; quòd sit omnino gratuita, seu gratis, ex sola DEI gratia, liberalitate, & donatione, exhibita; antequam enim vocarentur Apostoli, defacto nihil meruerunt, nihil passi sunt pro Nomine DEI, aut CHRISTI, nihil condignum posuerunt tantô beneficiô DEI, imò nec mereri poterant, siquidem vocatio talis, qualis fuit respectu Apostolorum est gratia prima, hæc utem non potest cadere sub meritum, seu est talis, ut non possit nec soleat dari pro ullo merito, sed penitus & totaliter, datur ex sola bonitate & liberalitate Divina. Quidquid post vocationem alicubi fecerunt Apostoli, quidquid meruerunt, prædicâverunt; quidquid docuerunt vel passi sunt, nunquam id Scriptura præterijt, nunquam intermisit, sed quantùm fieri potuit nostræ memoriæ reliquit & fideliter tradidit, quòd autem ante vocationem suam meruerint vel posuerint aliquid tale, quòd sit promeritivum ejusdem vocationis, nullibi de hoc mentio-

tionem facit, consequenter signum est, quòd nihil ante Vocationem Divinam meruerint. Videamus vocationem Apostolorũ apud Mathæum, (a) qualiter, quomodò, & ubi facta sit? ecce CHRISTUS ambulabat juxta mare Galilææ, & protunc Petrus & Andreas, item Jacobus & Joannes piscabantur ac reficiebant retia sua, & interim CHRISTUS adveniens ad illos, vocavit eos ut constat ex scriptura dicente: *Ambulans autem IESUS juxta mare Galilææ, vidit duos Fratres Simonem qui vocatur Petrus & Andream Fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me: & procedens inde, vidit alios duos Fratres Iacobum Zebedæi & Ioannem Fratrem ejus, in navi cum Zebedæo Patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos.* Ubi vide, quòd tunc actualiter vocati sunt Apostoli, dum alij ex illis mittebant retia in mare, alij eadem reficiebant, & missio retium in mare, vel eorum restauratio, estne meritum si non condignum, saltim de congruo, aut aliquòmodò proportionatum

(a) *Mathæi Cap: 4.* VOCA-

vocationi? minimè. Itaque hi qui modò sunt Apostoli, solum temporale commodum, in mari quærebant, de merito autem vocationis, nec somniârunt, & interim CHRISTUS, quærebat eos, invenit, gratuitissimè vocavit, illi reficiebant retia, & CHRISTUS refecit animas ipsorum. Rectè igitur confitetur Sanctus Paulus dum inquit. *Gratia DEI sum, id quod sum;* hoc est sive sum Apostolus, sive Doctor Gentium, sive vas electionis, sive vocatus ad prædicandum, hoc totum est gratia DEI. Unde idem Apostolus quandocunq; loquitur de vocatione sua, vel de Ministerio Apostolatûs, semper planè commemorat, gratiam DEI. Hoc ipsum sentit de Paulo Doctor Doctorum Augustinus, dum libro de gratia & libero arbitrio cap. 5. dicit: *Quòd conversus fuerit, nec gratia erat sola, nec voluntas erat sola; ut autem vocaretur gratia erat sola.* Evidentius hujus veritatis fundamentum, & à fortiori desumi potest ex eo, quia prædestinatio ipsius Humanitatis CHRISTI Domini est gratuita ut docet idem Doctor

ctor Doctorum Augustinus, lib: de prædestinatione Sanctorum cap: 12. ubi inquit: *Sed omnis hæc ratio quâ defendimus gratiam DEI per fidem in IESUM Christum Nostrum verè esse gratiam, id est non secundum merita nostra dari, quamvis evidentissimè Divinorum eloquiorum testimonijs asseratur, tamen apud eos qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, ut retribuatur eis ab omni studio pietatis reprimi se putant; laboratur aliquando in ætate majorum, jam utentium libertatis arbitriô; sed ubi venitur ad parvulos, & ad ipsũ Mediatorem DEI & hominum Hominem Christum IESUM, omnis deficit præcedentium gratiam DEI humanorum assertio meritorum, quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum, nec Ille ullis humanis præcedentibus meritis cum & Ipse sit homo, liberator factus est hominum.* Et cap: 15. *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator DEI & hominum Homo Christus IESUS, qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præce-*

præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est comparavit? Respondeatur quæso: ut à Verbo Patri coæt vno, in unitatem Personæ assumptus Filius DEUS unigenitus esset, unde hoc meruerit? quòd ejus bonum qualecunque præcessit? quid egit ante? quid præcessit? quid petivit? ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Positô itaquè hôc semel, quòd prædestinatio Humanitatis Christi Domini sit gratuita, etiam Vocatio ipsius sinè dubio est gratuita; consequenter & à fortiori, Vocatio Divina Apostolorum est absolutè gratuita, seu facta ex mera gratia DEI, ante omne meritum Apostolorum absolutè positum.

Devote Cultor Vocationis Divinæ, sicut Apostolos, ita & te vocavit DEUS gratuitè: sicut enim Apostoli, ita & tu nullum meritum condignum, imò nec congruum posuisti, per quod dignus evaderes, ad hoc, ut te DEUS vocaret ad statum istum, quem modò profiteris. Respice anteriorem ætatem tuam, percurre præcedentes annos, menses, horas, quid? quando? & quomodò

meru-

meruisti? propter quod tanquam pro merito deberes vocari à DEO. Infantia tua nihil meruit, quia hæc ætas ante usum rationis, posita, ordinariè incapax est meriti: pubertatem ludis & puerilibus lenocinijs applicuisti, primordia adolescentiæ fortè magis aulæ sæculi, acquirendæ pollicici, profanis negotijs, conversationi mundi, rudimẽtis scholarum, exercitiis ingenij, quàm servitio DEI consecrâsti. Et cum his immersus esses, DEUS ineffabili sua gratia te respexit! & te carentem omni merito, ad statum hunc, in quo existis vocavit. Expende igitur diligenter, quantam tibi DEUS præstitit gratiam in vocatione tui ad Religionem! admirare & appretia benevolentiam DEI, & postmodum discas, quantùm hanc dignationem DEI debeas æstimare!

§ Tertius.

In quo proponitur Vocatio Divina Apostolorum misericordissima, seu misericordia superabundans prædictæ Vocationis.

Ter-

TErtium quod relucet in Vocatione Divina Apostolorum, est quòd sit misericordissima, & superabundanti misericordiâ Divinâ resplendens: vocare enim hostem suum, persecutorem, & capitalem inimicum, ad supremam dignitatem est summa & superabundans misericordia: certè DEus Optimus Maximus, aliquos ex Apostolis vocavit eos qui fuerunt hostes, persecutores & inimici capitales DEI, & Nominis ejus, & talis fuit Saulus, cujus quanta fuerit persecutio contra Ecclesiam, declarat Augustinus dum Sermone 14. de Sanctis inquit: *Quando lapidatus est Stephanus, primus Martyr pro Nomine Christi evidentiùs aderat & Saulus, & sic aderat lapidantibus, ut non ei sufficeret, si tantùm suis manibus lapidaret: ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis sæviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* Nec satis erat Saulo, ita atrociter persequi Ecclesiam in Stephano, processit ulteriùs, accepit potestatem à Principe Sacerdotum, ut omnes illos qui profiteren-

terentur Nomen JESU, & veram DEI fidem amplecterentur, possit vincire & captivare, ut testatur Scriptura. (a) *Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Quid ergo putas, fecit DEus cum Saulo, ita crudeliter persequēte Nomen ejus? quid putas quomodò ulcisci decrevit tantam ejus sævitiam, obstinationem, & furorem, in Servos ejus? ecce hoc ipso tempore, dum tantam persecutionem molitetur contra DEUM, Ecclesiam, & Servos ejus, dum actualiter pergeret in Damascum, ut impleret sacrilegos ausus, vocavit eum DEus ad ministerium Apostolatûs. *Et cum iter faceret* (inquit Scriptura Actorum cap: 9.) *contigit ut appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi*

(a) *Actor; C. 9.*

contra stimulum calcitrare! Et tremens ac stupens dixit. Domine quid me vis facere? & Dominus ad eum: surge & ingredere Civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere? Ecce habes misericordem vocationē tanti persecutoris! nec tantùm hoc suo persecutori præstitit DEUS, quòd eum vocaret ad ministerium Apostolatûs, sed etiam simul ostendit Magistrum, nempe Ananiam, à quo doceretur Mysteria fidei, & gratiam Baptismi acciperet. Cum autem Vir Sanctus Ananias, timeret cum Saulo conferre de Nomine JESU, & mysterijs fidei ejus, responsum accepit à Domino, *Vade* (a)*quoniā vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram gentibus, & Regibus, & Filijs Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati.* O quanta misericordia! ô quanta dignatio Vocationis Divinæ! quis etiam poterit cōprehendere? vel saltim ex parte apprehendere? Meritò igitur exclamat Augustinus: *Paulus notus sævitiâ famosissimâ, sed notior Christi misericordissimâ gratiâ. Priùs rapiens persecutor ad* mor-

(a) *Actor: Cap. 9.*

mortem, postea pascens Prædicator ad vitam. Antequam cum Saulo tantam, faceret misericordiam DEus, adhuc priùs non æqualem quidem, sed pariter, magnam misericordiam fecit cum Mathæo, in vocatione illius, hic enim homo antequam vocaretur ad ministerium Apostolatûs continuò sedebat in telonio, fortè huic & illi propter exigendam telonij rationem, in via publica, intulit violentiam, non unum fortè defraudavit, & multis fortè, sedens in telonio fortunam, quæ illis erat propria, eripuit. Non obstiterũt tot peccata misericordiæ DEI vocanti, non impedivit nec removit DEUM ratio ignobilis officij, nempe quòd Mathæus esset telonarius, sed his omnibus remotis, vocavit DEus etiam publicum telonarium, ad Ministerium Apostolatûs, & ad prædicandum Evangelium: *& cum transiret inde IESVS, vidit hominem sedentem in telonio Mathæum Nomine, & ait illi sequere me.* (a) O immensa misericordia DEI quæ sedentem in telonio Mathæum vocavit, & orantes in Cathedris

(a) *Math: cap: 9.*

Pharisæos dereliquit, & præterijt?

Devote Cultor Vocationis Divinæ, & te vocavit DEUS ita misericorditer, sicut & Saulum: & tu enim antequam vocatus esses, persequebaris Nomen DEI & Discipulos ejus, persequebaris Ecclesiam & Ministros ejus, quilibet enim peccator, est Saulus spirans minarum ac cædis in Discipulos Domini, hoc est in omnes illos qui peccata arguunt, qui præcepta DEI & voluntatem ejus prædicant, quilibet peccator est Saulus ille, qui omnes Servos DEI reducentes à peccatis, vellet vinctos perducere in Jerusalem, hoc est in locum illum, in quo hîc & nunc maximè viget odium, & persecutio contra ejusmodi famulos DEI. Nam dum peccator hæret in malitia sua, in illa delectatur, & complacet, interim autẽ veniunt Servi DEI, vg. Concionatores, Confessarij, & reprehendunt peccantem, detestantur malitiam, increpant delictum, & dignum infernô justè minantur, vel etiam liberè contra obstinationem insurgunt, ordinariè quilibet peccator non

non libenter audit ejusmodi reprehensiones, non cum affabilitate suscipit arguentium correctionem, & aliquando etiam vellet occidere si posset, ut de facto fecerunt multi. Velle autem occidere Servum DEI vel eum prædicantem contemnere, est persequi ipsum DEUM; facere id quod prohibet DEUS, quid est aliud? nisi spirare minas, odium, & ingratitudinem contra DEUM? O quoties tu ante vocationem tuam ad præsentem statum faciebas id quod DEus prohibet! ô quoties persequebaris DEUM quotidianis peccatis & continuatis sceleribus! contraveniendo voluntati Divinæ & præceptis ejus. ô quoties spirabas minas ac cædem in Discipulos Domini! & tamen DEus tunc dum actualiter peccares, tunc dum perdurares in malitia, tunc dum ipsô factô persequebaris eum, ille te vocavit ad obsequium suum. Percurre hîc omnes actiones tuas, revolve & commemora tibi omnia peccata & scelera tua, & videbis quantus eras persecutor DEI, quando ab illo vocatus es!

§ Quartus.

In quo proponitur profunditas judiciorum DEI, relucens in Vocatione Apostolorum.

QUartum quod relucet in vocatione Divina Apostolorum, est profunditas & abyssus judiciorum DEI, consistens in hoc, quòd DEus ad docendum Orbem totum, vocaverit homines rudes, indoctos & illiteratos, quòd ad erudiendas in vera fide gentes, vocaverit homines rusticanos, plebeios & idiotas, quòd ad convertendos Imperatores, Reges, & superbos mundi Principes, traxerit post se contemptibiles piscatores, & toti mundo ignotos. Quando venit CHRISTUS in mundum, erant tot Augustissimi Imperatores, Reges, Duces, & invicti Principes: jam protunc rexit habenas Imperij Augustus Cæsar, & mandavit ut universus describeretur Orbis, jam regnavit Herodes & alij innumeri Principes; tamen CHRISTUS neq; Augustum Cæsarem, neque Herodem, neq; ullum alium mundi Principem, sed

igno-

ignotissimos, abjectissimos & cõtemptibiles vocavit homines. Præter Imperatores, Reges & Principes, habuit Jerosolyma Principes Sacerdotum, Annam & Caipham, habuit Scribas & Pharisæos, habuit legis Doctores & in lege peritos, habuit Prophetas & justos homines, tamen admirabilis Providentia Divina, ita ordinavit, ut his omissis omnibus, solos rerum ignaros piscatores, ad supremum Apostolatûs vocaret Ministerium. Considerans tantam dignationem & gratiam Divinam Sanctus Paulus exclamat: 1. ad Corinth cap: I. vers. 26. *Videte Vocationem vestram Fratres! quia non multi Sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit DEUS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit DEUS, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Devote Cultor Vocationis Divinæ, sicut Apostolos, ita & te vocavit DEUS hominem stultum, abjectum, &

ab omnibus contemptibilem: quid enim ante vocationem tuam, sciebas? quid rectè sapiebas? defacto nihil. Scivisti vanam gloriam quærere, hominibus placere, cum alijs contendere, vicem pro vice reddere, sed hæc scientia, stultitia est; stultus igitur eras, licet, hæc omnia exactè sciebas. Cum venires ad Religionem, vix rudimenta Grãmatica novisti, sed ponamus quòd ultra plùs aliquid noveras, tamen studere bono noluisti, & malum declinare minimè curâsti, quô positô non eras dignus ut vocareris à DEO, ad statum talis Religionis, cujus specialis finis est, ignorantes docere, errantes corrigere, & Verbum DEI ita prædicare, sicut, prædicabant Apostoli. Ad iniquitaté ex defectu scientiæ provenientem, accessit fortè ignobilitas generis, conditio plebeia, & status rusticanus: unde propter vilitatem prædicti statûs, tantùm inter rusticanos homines, locum, habere potuisti, ad dignitates eminentiores tam Ecclesiasticas, quàm Civiles, nec spem, nec modum habuisti, imò viden-

videndo conditionem tuam, nunquàm ad illas aspirâsti, nunquàm de illis cogitâsti, sed in luto vilitatis tuæ jacere cogebaris. Tandem manentibus his indignitatis principijs, DEUS Optimus Maximus, non attenta hac tua indignitate, vilitate, & abjectione, vocavit te ad talem statum, ratione cujus evasisti quodammodò dignior, aut saltim extrinsecè capacior ad illa ministeria Ecclesiastica, ad quæ antea indignus, incapax, & ineptus videbaris. Jam modò Prælatus adoraris, qui antea rusticus contemnebaris, jam nunc Doctor honoraris, qui antea plebeius spernebaris, jam nunc eruditus, doctus, peritus & prudens æstimaris, qui ante pro stulto habebaris, & verè sic erat. Unde hoc tibi advenit? unde est modò hæc tua dignitas? certè non aliunde, nisi à vocatione DEI: vocavit te DEUS etiam stultum, etiam ignobilem ad statum Religionis; educatione, promotione, eruditione factus es nunc doctus, qui antea fuisti stultus, factus es nobilis, qui antea fuisti ignobilis. Reflectaris igitur

quan-

quantùm debeas esse gratus DEO Optimo Maximo! vide quantùm debeas æstimare Vocationem Divinā ad statum Religionis! Si aliquis Princeps vocaret suum subditum stultum, plebeium, contemptibilem, abjectum absq; omni prævio merito ejusdem subditi, si inquam vocaret Princeps talem subditum ad Senatoriam Purpuram vel ad supremam in Regno suo dignitatem, quid putas quantùm ille subditus æstimaret gratiam Principis! quantùm illi vellet gratificari benevolentiam! quantùm illi se submitteret? certè coram omnibus ejus amorem prædicaret, coram omnibus fateretur totam suam dignitatem esse ex mera gratia Principis, quandocunq; ei contingeret loqui de sua in hanc dignitatem promotione, semper excurreret in gratiarum actionem faciendam Principi, & omni possibili modo testaretur, ac ostenderet gratitudinem suam; caveret præterea ut nullô etiam minimô verbô offenderet Principem, ut nullam ei præberet causam, vel occasionem alicujus læsionis, sed omnia ita dispo-

diſponeret, ut fiant, currant, peragantur juxta voluntatem, placitum, & omnem cogitabilem guſtum Principis. Quod faceret hic ſubditus Principi creato, hoc tu totum debes facere Principi Increato DEO tuo: hic enim Princeps Clementiſſimus DEus tuus, cum eſſes nihil, cum eſſes terra & cinis, cum eſſes contemptibilis ab omnibus, rudis, & illiteratus, & quod majus eſt cum eſſes perſecutor DEI, abſq; ullo merito tuo, vocavit te ad Religioſam Purpurã, quam ſi benè geſſeris, infallibiliter tibi decrevit hæreditatem, Regni cæleſtis, & quidem ab æterno, decrevit ita pridem, ſicut pridem & ſine initio eſt DEus. Quantùm ergo debes æſtimare gratiam DEI tui! quantùm debes te ſubmittere! defacto millies, imò infinities magis, quàm ſubditus creato Principi. Quocunq; te convertes, debes coram omnibus prædicare incomprehenſibilem gratiam, Bonitatem, & Miſericordiam Divinam, quòd te ſic indignum, adeo rudem, abjectũ, vilem, & contemptibilem vocaverit ad tam dignum, Sanctum, honora-

norabilem, & venerandum ſtatum! debes continuò excurrere in laudes & gratiarum actiones DEO exhibendas, debes hanc promotionem tuam ad hunc ſtatum tribuere principaliter DEO, & gratiæ ipſius. Et quòd maximum eſt, curare teneris, ut tam clementem DEUM, tam miſericorditer te vocantem nulla actione tua offendas, nullô verbô lædas, opere difformi, vel inhoneſto irritare audeas. Sed fortè contrarium in te evenit, & contrarium quotidie evenire ſolet, dum ſcilicet factus immemor beneficij Divini, quod tibi præſtitit in vocatione tui ad Religionem, nunquam curâſti gratus eſſe DEO, nunquã tantã ejus gratiam prædicâſti, imò fortè nunquã cogitâſti de tãto beneficio DEI. O barbara ingratitudo noſtra! Principes creati à ſuis ſubditis habent omnimodã gratitudinẽ, ſi eos ad aliquã dignitatẽ, dicam potiùs vanitatem tranſitoriã vocaverint, & Princeps Increatus, DEUS Optimus Maximus, non habet à ſua Creatura tot titulis dependente & obligata ipſi! Experientiâ quotidianâ conſtat
nobis

nobis ipsis, quantùm faciunt illi homines, qui per gratias Principum vocantur ad aliquam dignitatem Regni, continuò foribus Principis adstant, aulæ assistunt, manè surgunt, & omnes in apprecatione diei præveniunt, tota die in ambitu stationis Regiæ vigilant, modos placendi & obsequendi quærunt, fortunam pro honore Principis impendunt, & aliquando vitam etiam ipsam perdunt. Quid tu aliquando simile præstitisti DEO, quòd te ad tam nobilem Religionis Senatum vocaverit! assistebasne continuò aulæ DEI & Ecclesiæ ipsius? vigilabasne sinè intermissione, ut aliquô modô possis præstare obsequiū gratitudinis DEO? fuistine aliquando ita resolutus, ut propter DEUM & honorem ipsius, non tantùm fortunam, sed etiam vitam ipsam paratus sis amittere? certè si tua interna sincerè investigaveris, nihil horū reperies, Proinde saltim modo exhibe te gratum DEO vocanti, & exclama cum Augustino. *Recordare* (a) *misericordiæ tuæ antiquæ, quâ nos à principio in benedictionibus*

(a) *Soliloq: cap:* 26.

tus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego Filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus matris meæ tu prævenisti præparans mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domûs tuæ. Priusquam me formares in utero novisti me, & antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, præordinâsti de me. Præordinâsti autem non tantùm ab æterno, sed etiam ante omne meritum meum absolutè positum, præordinâsti misericordissimè, quia me persecutorem tuum, quotidie voluntati tuæ contra venientem ad te traxisti: tandem præordinâsti me admirabiliter, quia me abjectum, contemptibilem, rudem, & ex omni parte stultum, ad tuum ministerium & ad statum Religionis vocâsti, ne autem in mea stultitia, abjectione & contempibilitate perirem, me tuo spiritu illuminâsti, & sinè strepitu verborū efficacissimè docuisti, quid facere, & quid fugere, debeā. Jam ergo *benedic anima mea Domino* (a) *& omnia quæ intra me sunt Nomini S. ejus, Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Bene-*

(a) *S. August: lib: med: cap: 27.*

dicite Domino omnia opera ejus, in omni loco Dominationis ejus, benedic anima mea Domino. Laudemus DEVM quem laudant Angeli, adorant Dominationes tremũt Potestates; cui Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Iungamus voces nostras, vocibus Angelorum Sanctorum, & communẽ Dominum laudemus, pro modulo nostro.

PVNCTVM II.

In quo proponitur Exemplar Vocationis Apostolicæ consideratæ ex parte ipsorum Apostolorum.

In Vocatione Apostolica ex parte ipsorum Apostolorum considerata, quatuor tractanda veniunt, nempè prõptitudo, celeritas, obedientia, appretiatio: de his singulis quatuor Paragraphis agemus. Proinde sit jam.

§ Primus.

In quo

In quo proponitur promptitudo Apostolorum in sequenda Vocatione Divina.

VOcatio Apostolica considerata ex parte ipsorum Apostolorum, nihil aliud est nisi actus illi quibus Apostoli gesserunt se circa Vocationem Divinam. In hac Vocatione primo reperitur prõptitudo, nimicum quia Apostoli gesserunt se circa Vocationem Divinã promptè, libenter, & alacriter, quia eam omnes & singuli, promptô animô, libenti voluntate, alacri mente susceperunt. Quando vocavit Christus Apostolos nullus erat ex illis talis qui huic vocationi aliquam renitentiam ostenderet, nullus erat ita durus & obstinatus, qui CHRISTUM sequi recusaret, nullus denique ita barbarus vel imprudens, qui aliquem dissensum vel in vultu, vel in corpore, vel in mente per aliquod signum externum præseferret; sed in omnibus una & concors promptitudo, una & prompta concordia, sequendi vocantem CHRISTUM aderat. Licet distinctis temporibus, distinctis locis, &

circa

circa distincta negotia occupatos CHRISTUS vocaverit Apostolos, tamẽ illi non distinctam sed eandem omnino in apprehendenda Vocatione Divina exhibuerunt alacritatem. Hanc alacritatem & promptitudinem Apostolorum in sequenda Vocatione Divina, proponit nobis considerandam S. Gregorius Papa Homil 5. in Evangelia, dum inquit: *Audistis Fratres charissimi, quia ad unius jussionis vocem, Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant: nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt.* Et statim ibidem Sanctus Pontifex addit, exclamando & quodammodò arguendo, tepiditaté nostrã in arripienda Vocatione Divina, dum inquit: *Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur, & tamen vocantem sequi contemnimus! in Cælo jam sedet qui de conversione nos admonet: jam jugo fidei colla gentium subdi-*
 dit

dit, jam mundi gloriam stravit: jam ruinis ejus crebrescentibus districti sui judicij diem propinquantem denuntiat: & tamen superba mens nostra, adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit in vita. Quid ergo Fratres charissimi, quid in ejus judicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi, nec præceptis flectimur; nec verberibus emendamur?

Candide Imitator Vocationis Apostolicæ, qui conaris amplecti Institutum Apostolicum, vel saltim vis Apostolos imitari, ita per omnia debes te gerere, quando te DEUS vocat ad obsequium suum, vel ad aliquod ministerium Ecclesiæ suæ. Et sic debes sequi Vocationem DEI promptè, libenter & alacriter, quia hilarem id est promptum datorem diligit DEUS, & plùs æstimat promptitudinem, quàm substantiam actûs, magis appretiat promptum, alacrem, & hilarem animum nostrum, quô illi rem offerimus, quàm ipsam rem, quæ offertur. Nihil valet aurum, si ferrea porrigatur mente; minuit pretium argento etiam gratis collato, qui tor-

vô oculô offert illud. Si vis ut dono tuo condignum vel saltim congruum tribuatur pretiũ, promptè & ex affectu offeras; nam ut ait D. Ambrosius: *Affectus (a) divitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* In omni Vocatione Divina quãdo eam sequimur, sinè dubio damus, offerimus, & præsentamus donum aliquod DEO Optimo Maximo, nempe damus & donamus nos ipsos DEO: quare ut huic dono nostro pretium addamus & valorem augeamus, necessariũ est, ut illud promptè offeramus; quod si fideliter exequemur, etiam fidelis DEUS libentissimè nobis se ipsum offeret. Quare precor Christus Dominus, se ipsum alacriter Zachæo ad manendum in domo ejus obtulit, licet illum Zachæus ad se non invitaverit? certè non alia ex causa, nisi quia CHRISTUS Dominus, vidit affectum & promptitudinem Zachæi, ad habendum apud se CHRISTUM Dominum, ut testatur D. Ambrosius dicens: (b) *Sciebat enim uberem hospitii sui esse mercedem,*

(a) *Libr: 2do de Officiis C. 30.* (b) *Lib: 8. in Lucam.*

ſed tamen etſi nondum vocèm invitantis audîerat, jam viderat affectum. O utinam affectu tali & promptitudine nos offeramus CHRISTO vocanti, qualiter ſe obtulit Zachæus: ſinè dubio ita promptum ad nos viſitandos, & inhabitandos agnoſceremus CHRISTUM, ſicut ille agnovit, vel ſi hunc imitari nolumus, imitemur Apoſtolos promptiſſimè ſe CHRISTO vocanti offerentes, imitemur inquam nos omnes, qui vel jam Inſtitutum Apoſtolicum amplexi ſumus, vel amplecti æmulamur. Promptitudo hæc (de qua hîc loquimur) conſiſtit in hilari oblatione ſui ipſius, & læta exhibitione operis, ſeclusâ omni triſtitiâ, vel mærore, ſeclusâ item omni notâ triſtitiæ internâ quàm externâ. Qui igitur ſequitur CHRISTUM vocantem, ſed ex hac ſequela triſtatur, non ſequitur eum promptè; qui offert ſe DEO in obſequium, ſed ex hac oblatione, mærore conficitur, non offert ſe alacriter: qui obtemperat Vocationi Divinæ, ſed poſtea pænitet eum, quòd obtemperaverit, ille non obtemperat libenter.

§ Se-

§ Secundus.

In quo proponitur celeritas Apostolorum, in sequenda arripiendaq; Vocatione Divina.

MUlti multa promptè, alacriter, libenterq; expediunt, sed tamen cum aliqua remora & dilatione, propter has illasq; circumstantias; Apostoli sicut promptè, ita & celeriter, planèq; instantaneè absq; omni dilationis adminiculo secuti sunt CHRISTUM vocantem. Constat id ex Mathæi 10. Cap. ibi enim vix CHRISTUS dixit Petro & Andreæ: *Venite post me*: subdit Scriptura: *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Pariter quàm primùm vocavit Jacobum & Joannem, eo instanti & veloci animò conformârunt se ejus Vocationi, ut testatur Scriptura ibidem: *Illi autem statim relictis retibus & Patre, secuti sunt eum.* Notavit ergo Scriptura, non tantùm substantiã sequelæ Apostolicæ post CHRISTUM, sed etiam circumstantiam temporis, quô illi omnes statim secuti

sunt CHRISTUM, ut sciamus & discamus, quòd Apostoli indilatè, velociter, & ferè in instanti abiêrint post CHRISTUM. Hanc celeritatem in sequenda Vocatione Christi, adhuc nervosiùs refert Sanctus Marcus Evangelista, dum ad denotandam illam, utitur particulâ illâ: *Protinus*: inquit enim: *& protinus relictis retibus*, (a) *secuti sunt eum*: porro particula ista, *protinus*: significat velocem, subitum, & instantaneum agendi modum. Non disputabant itaquè Apostoli, utrū sequendus erat CHRISTUS an non? non dubitabant utrum arripienda erat sua vocatio? sed ad primum nutum CHRISTI, ad primam vocem ipsius amplexi sunt eandem. Duo tantum verba dixit Mathæo: *Sequere me*: *& secutus est eum*: aliis tantùm tria: *Venite post me*: & statim relictis retibus secuti sunt eum. Quando dixit CHRISTUS Apostolis: *Venite post me*: nullus eum interrogavit, quomodò post te venire possumus, cum adhuc tuam vitam ignoremus? quis est status tuus? quæ Regula? quæ conditio? quæ obligatio?

(a) *Cap.* 1. *v.* 8.

qualia onera tuorum sequacium? quæ constitutiones & statuta communitatis tuæ, aut collegij? nihil horum opposuerunt Apostoli, sed postquàm audierint; *Venite post me: continuò & statim relictis retibus secuti sunt eum.* Poterant Apostoli absq; ulla offensa respondisse CHRISTO: sequemur te, sed priùs nobis ostende statum & conditionē vitæ tuæ, priùs nobis exhibe unde vivemus? quô cóoperiemur? quod erit stipendium nostrum? quæ consolatio sequelæ nostræ? cæterum hoc decebat & Omnipotentiam CHRISTI vocantis, (servata tamen libertate) & submissionem Apostolorum, ut seclusis his ambagibus, & quæstionibus, promptô animô & veloci cursu, CHRISTUM sequerentur!

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, si vis Apostolorum inhærere vestigiis necessarium est, ut sequaris Vocationem DEI indilatè, velociter, & (si hoc fieri potest) instantaneè, quemadmodum illam & Sancti Apostoli secuti sunt. Sicut enim qui citò dat, bis dat; ita qui citò DEUM vocantem sequitur,

bis

bis eum ſequitur. Quis unquam benefi- cia gratis oblata, lento pede ſuſcepit! quis unquam ad primam gratiam tardo greſſu properat? non currere ſed volare ſolent homines, quando oblatam vel ſibi promiſſam, audiunt gratiam. Vocatio Divina beneficium eſt gratis oblatum, & quidem beneficium non qualecunque, ſed inter alia præcipuum & ſpeciale; quis erit ita ſtultus, qui acceptionem tanti beneficij differat? quis erit ſic imprudens & ratione deſtitutus, qui velociter illud non ſuſcipiat? Vocatio DEI eſt gratia prima cæteras gratias DEI præveniens, quis erit adeò tardus & negligens, qui ad illam ſuſcipiendam non properet? quis ita deſidioſus qui illam in inſtanti non amplectatur? Utiq; major primis gratia pomis? & quare non debet eſſe primæ Vocationi Divinæ? Cæterum ſic plerią; incauti ſumus, ut citiùs terrena quàm cæleſtia capiamus! Vocat nos mundus ad vanitates ſuas guſtandas, & velociter currimus; vocat nos caro & concupiſcentia ejus, & ſine mora properamus;

vocat nos Diabolus ad obsequium suum, & in instanti volamus: vocat nos DEus & retardamus, de die in diem, de mense in mensem, de anno in annum differimus. Cum autem dies, mensis, & annus, elapsus fuerit, iterum novas dilationes, sub vario prætextu & colore quærimus: adhuc fruendum mũdô, & deliciis ejus nobis persvademus, & interim sensim ab illis illaqueamur. Quis autem hoc sibi promittere potest ut dicat? *Laqueus* (a) *contritus est, & nos liberati sumus?* O damnanda infernô dilatio! quæ Diabolum tam citò sequeris, & DEUM vocantem, imprudenter deseris! Quis est dignior, an DEus an Diabolus? an CHRIstus an Sathan? an caro an Spiritus DEI? an mundus an cælum? certè & fidei, & rationis lumine notum est, & tu evidenter id manifestum habes, quòd dignior sit DEus, quàm Diabolus, CHRISTUS quàm Sathan, Spiritus DEI quàm caro, Cælum quàm mundus cum vanitatibus suis: *quæ enim participatio justitiæ* (b) *cùm iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem*

(a) *Psal:* 123. (b) 2. *ad Corinth: Cap.* 6. *con-*

conventio Christi ad Belial? quare ergo cum te vocat Diabolus, dum allicit caro, dum invitat mundus, quare inquam hos omnes tam citò, & tam veloci gradu sequeris, DEUM autem impudentissimè deseris? Præmium vocantis DEI est Cælum, merces vocantis Diaboli est infernus: pabulum carnis allicientis, est ignis qui nunquam extingvitur; refrigerium Spiritus Domini ad se invitantis, est consolatio interna & externa: spolium mundi & vanitatum ejus est mors juxta illud: (a) *mors peccatorum pessima:* lucrum autem Cæli; est vita in DEO sine fine. Quando ergo à pluribus simul vocaris, nempè à DEO, à dæmone, à carne, à mundo, & pompis ejus, tunc in dato casu respice præmium vocantis DEI, & præmium vocantis dæmonis, similiter vide finem carnis & mundi, quod totum si benè penetraveris, defacto eliges sequi citiùs DEUM vocantem, quàm Diabolum seducentem, aut carnem, vel mundum ad se invitantem.

§ Ter-

(a) *Psal:* 33.

§ Tertius.

In quo proponitur Apostolorum obedientia Vocationi Divinæ.

SIcut promptè ac celeriter, ita per consequens & obedienter gesserunt se Apostoli, circa Vocationem Divinam ad se ordinatam: tunc enim quando actualiter vocati sunt, nullus ex illis de facto restitit CHRISTO vocanti, nullus se exhibuit rebellem vel contradicentem, aut quôcunq; modô, contravenientem insperatæ Divinæ Vocationi, sed omnes ita reverenter obedîerunt CHRISTO vocanti, acsi obedientiam pro priori profiterentur. Agnoscit hanc in Apostolis obedientiam Vocationi Divinæ S. Chrisostomus, ad eamq; diligenter considerandam quemlibet nostrûm excitat, dum inquit: *Perpende & fidem & obedientiam vocatorum! siquidem in medio ipsius operis constituti (scitis autem quàm avida res sit piscatio) cum illum audîßent jubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt. Non dixerunt: Revertemur domum,*

mum, loquemur propinquis, sed cuncta illico relinquentes, fecerunt quod Eliseus, sub Elia legitur implesse: talem quidem à nobis obedientiam Christus efflagitat, ut neq; punctum temporis differamus; etiamsi nos aliquid necessarium urgere videatur.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, si vis totaliter ad Normam & Exemplar Apostolorum componi, congruentissimum est, ut sequaris Vocationem DEI obedienter, ea vi & qualitate obedientiæ, quâ & qualiter eandem secuti sunt Apostoli. Multi enim imò innumeri, quicunque restiterunt, & deliberatè contravenerunt Vocationi Divinæ, jam ampliùs vocati non sunt, & sic in sua contraventione perierunt! O quàm plenus est illis infernus! ô quàm plena sunt illis tartara! ô quàm superabundè repleta est illis gehenna! quis tam deflendi interitus causa? quis tam miserandi status principium? nihil aliud, nisi hoc quia Vocationi Divinæ non obedièrūt, quia DEO inspiranti, & CHRISTO ad se vocanti restiterunt, contradixerunt, & penitus non obtemperârunt.

Sicut

Sicut enim Vocatio Divina eſt radix omnium bonorum, ſi illi obediatur, ita eadem Vocatio Divina, neglecta, contempta, rejecta, ſeu potiùs negligentia, contemptus, & rejectio Vocationis Divinæ, eſt radix omnium malorum. Quod ut intelligas talem tibi propono parabolam? Quidam Rex ſtatuit in ſecreto cordis ſui vocare unum ex ſubditis in Regno ſuo, ut agat militem ſimplicem ſub ſignis Regiis, adjecta intra ſe hac conditione, quòd ſi huic vocationi ſuæ obedîerit, vocaturus ſit illum ad ſuperiores gradus militares, ut ſit vg. Vexillifer, Regimentarius, legionis Præfectus, &c. tandem ut fiat Supremus exercituum Dux, deinde Conſors Regni, & poſtmodum Succeſſor in throno ejus. Quod ſi autem prædictæ vocationi ſuæ non obedîerit, ſed ei reſtiterit, vel contradixerit; tunc ſtatuit intra ſe, ut eum privet his omnibus; ut non evehat ad gradus militiæ, ut non admittat ad conſortium Regni ſui, nec ad ſucceſſionem, ſed ut maneat abjectus, & relictus in illa vilita-

te ſua

te sua, in qua antea fuerat. Factum est, vocavit Rex prædictum subditum suum, ad ministerium militare, subditus non obedivit ejusdem vocationi, Rex satisfaciendo verbo & statuto suo Regio, jám ampliùs non vocavit eum, & hæc omnia beneficia sua, & dignitates quas illi apud se conservaverat, subtraxit perpetuò, & ita subditus mansit pro semper abjectus, derelictus, & disgratiatus apud Regem.

Eôdem modô procedit nobiscum DEUS noster, primò ab æterno in absconditis sapientiæ suæ thesauris, decernit ad hunc vel illum statum vg. ad Religionem vocare hominem, & simul dat auxilia sufficientia, ut hanc eandem Vocationē ejus sequatur, illiq; obediat: 2do vocationi suæ hanc alligat conditionem, quòd si illam sequetur homo, ipsiq; obediat finaliter, eundem hominem sit justificaturus, prædestinaturus ad Cælum, glorificaturus, & ad hæreditatem Regni cælestis admissurus: quòd si autem homo prædictæ Vocationi Divinæ simpliciter & finaliter re-

stite-

ſtiterit, etiamſi aliquoties vocatus fuerit, tunc immutabiliter decernit DEUS, eum non juſtificare, non prædeſtinare, non coronare, non glorificare, nec ad hæreditatem gloriæ æternæ admittere. Et defacto evenit plerumquè, quòd nos vocet DEUS ad obſequium ſuum, & interim nos reſiſtimus, non obedimus, contravenimus finaliter, DEus etiam non vocat nos ampliùs, auxilia ſua ſubtrahit, tandem juſtificatione, prædeſtinatione, glorificatione, & hæreditate æterna privat. Et hic eſt fructus non obedire Vocationi Divinæ! parvum nobis, aut nullum videtur crimen reſiſtere DEO vocanti, tamen ſi ſpectemus quid poſt ſe trahat? maximum & horrendum eſt: trahit autem poſt ſe ſubtractionem prædeſtinationis, juſtificationis, & glorificationis; tandem trahit poſt ſe finalem obſtinationem, per ſubtractionem auxiliorum Divinorum, in pænam noſtræ inobedientiæ DEO vocanti. O homo ſi velles intelligere & intimè penetrare, quanta mala conſequantur inobedientiam & renitentiam

DEO vocanti! nunquam illi auderes resistere, nunquam præsumeres contradicere, sed eum toto affectu, & corde sequi contenderes!

Ut autem clariùs videas quantum malum sit Vocationi Divinæ resistere, vel eam semel arreptam postea derelinquere, annecto tibi duo exempla: 1mum ex Vitis Sanctorum Patrum de Græco in latinum versis: Homo quidam prædives opibus, genere clarus, habens uxorem & filium parvulum, cùm in Ægypto Tribunus esset, & frequentibus adversum hostes expeditionibus occupatus, quædã eremi abdita visitâsset, Sanctorũq; etiam tabernacula complura vidisset, à Beato Joanne Eremita Verbum salutis accepit. Nec moratus, inutilem militiam cum vano honore illo cõtemnere, eremum constanter ingressus: brevi tempore in omni genere virtutum perfectus emicuit. Potens jejunijs, humilitate conspicuus, fide firmus, facilè se antiquis Monachis studiô virtutis æquaverat. Cum interim subîit eum cogitatio injecta per diabolũ, quòd

rectiùs esset, ut rediret ad Patriam, filiumq; unicum ac domum totam cum uxore salvaret, quòd utiq; & acceptius DEO, quàm si solum se sæculo eriperet: & salutem suorum negligeret. Istiusmodi ergo falsæ justitiæ colore, superatus, post quadriennium cellam suam atq; propositum Eremita deseruit. Sed ubi ad proximum Monasterium quod à multis fratribus, habitabatur accessit, causam discessionis atq; consilium quærentibus, confitetur. Renitentibus cunctis, & præcipuè Abbate, malè animô fixa sententia non potuit evelli. Igitur infelici se obstinatione proripiens, cum dolore omnium digressus est à fratribus. Et vix à conspectu eorum abscesserat, mox obsidetur à Dæmone, cruentasq; spumas ex ore provolvens, suis dentibus se ipsum lacerabat. Deinde ad idem Monasterium fratrum humeris reportatus, cum còërceri in illo immundus Spiritus non valeret, necessitate cogente, ferreis nexibus alligatus, pedes cum manibus vinctas sustinere debuit, quàm diu oratio-

ne Sanctorum non eſt liberatus ab obſeſſione Dæmonis.

Secundum exemplum habetur ex Annalibus Ordinis Minorum S. Franciſci: Gerente Officium Gvardiani, Sancto Antonio de Padva, homo quidam ſeculari militiæ, & ſceleribus à juventute deditus, petiit ſuſcipi ad Novitiatum & Religionem Ordinis Minorum Sancti Franciſci. Præmiſſo itaq; examine de ſtabilitate & firmitate Spiritûs, aliiſq; ex more ad id neceſſariis, ſuſcepit dictum hominem S. Antonius, habitu religioſo inveſtivit, & numero Novitiorum adſcripſit. Brevi tempore dictus Novitius cum exierit de Cella ſua, advertit equum armis cæteriſq; requiſitis præparatum, & quadam ſarcinâ onuſtum, in qua pecunias, veſtes, & omnia ac ſingula apparamenta militaria reperiit, poſtpoſitô itaq; ac abjecto religioſo habitu, indutus ſeculari veſte, loricatus armis conſcendit equum, & tacito paſſu diſceſſit ad oppidum proximum, quò, tempore veſpertino adventans, deſiliit ex equo ad diverſorium,

juſſit-

jussitq; sibi parari cænam, cui jam cænanti inserviens formosa puella filia Patrisfamilias, adeò placuit, ut in uxorem illam postularet, ostendendo simul ad alliciendam eam, magnas divitias: quibus visis Paterfamilias succensus avaritiâ, dedit ipsi Filiam in uxorem, introduxitq; illam ad thalamum. Quô factô Diabol9 mutata equi specie, in speciē hominis, cæpit pulsare fores illius diversorii, intromissusq; interrogavit Patremfamilias utrum dederit hospiti filiam in uxorem? & post multos sermones prodidit ipsum dicendo: tuus Gener non potest ducere filiam in uxorem; Religiosus enim est, qui te defraudavit, & subtraxit honestatem filiæ tuæ, & quia non potes consulere tibi, fac secundùm consilium meum: vade summo mane ad thalamum, sed paulatim, ac in silentio, & videbis rasum caput tonsuramq; Monasticam, videns ista, amputa ipsi caput ut meruit, omnesq; illius res & pecunias converte in dotem filiæ tuæ, neminemq; time, quia hic latro nemini est notus. Quô auditô

Paterfamilias nimis turbatus & afflictus fuit, ad extremum convictus irâ, incenſus à Diabolo, propoſuit Genero amputare caput, & rogavit ut expectet & adjuvet ipſum in ſepeliendo corpore, quod facilè promiſit Dæmon. Poſtea ivit Paterfamilias ad thalamum, & cum invenerit dormientes, atq; viderit Generum cum tonſura Monaſtica, amputavit ipſi caput. Amputato itaque cāpite, ivit ad illum amicum, à quo conſilium in hac re capiebat, ſed non invenit ipſum, ivit poſt ad ſtabulum videre res Generi ſui, hoc eſt armaturam militarem, pecunias, & res alias quas pariter non reperiit, & cognovit eſſe fraudem ſeductionemq; Diabolicam, & cum ſepelîerit corpus, abijt confiteri peccata ſua Sancto Antonio, qui illo tēpore prædicavit in proxima Civitate Burges.

Ecce habes finem eorum, qui Vocationem Divinam ſemel arreptam dereliquerunt: primus à Dæmone obſeſſus & per biennium ab eodem detentus, ſecundus ab eodem ipſo Dæmone, à

quo

quo ad relinquendam vocationem sedu-ctus erat, crudeliter occisus, miserabi-liter in æternum periit. Quid aliud te expectat si vocationem semel susce-ptam deserere volueris? certè vel ob-sessio Dæmonis, vel pæna æterna, vel aliquid simile tanto sceleri proportio-natum. Consulendo igitur securitati animarum nostrarum, nunquam renu-amus, sed continuò annuamus Vocati-oni Divinæ! ecce Increata *Sapientia* (a) *foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua dicens: usq́-quo parvuli diligitis infantiam? & stulti ea quæ sibi sunt obnoxia cupient? & imprudentes odibunt scientiam? convertimini ad correptionem meam en proferam vobis Spiritum meum! & ostendam vobis verba mea!* Si ergo Increatæ Sapientiæ prædicanti, danti vocem suam, clamitanti ad nos, & proferenti Spiritum suum renuemus, sine dubio illis omnibus obnoxii erimus, quæ supra immediatè enumeravimus, si autem obediemus, & humiliter Increatæ Sapiētiæ verba audiemus, absq; o-

(a) *Proverb: Cap. 1. V. 20.*

mni timore & tremore quietem beatam habebimus & bonis æternis abundabimus. *Qui autem me audierit, absq; terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* inquit Sapientia Increata. Proverb: Cap: 1. v. 33.

§ Quartus.

In quo proponitur appretiatio Apostolica Vocationis Divinæ.

VLtimum tandem quod nobis hîc expendendum occurrit, est illud, quòd Apostoli gesserint se circa Vocationem Divinam appretiativè. Appretiatio hæc potest colligi ex multis; imo ex eo, quòd dum Apostoli vocati sunt à CHRISTO Domino, non tantùm nudè secuti sunt Vocationem ejus, sed etiam omnia reliquerunt, juxta illud: *protinus relictis retibus secuti sunt eum.* Qui autem relinquit omnia propter unum aliquid sequendum vel obtinendum, hic sine dubio appretiat summè illud unum aliquid: siquidem ergo Apostoli propter sequendam,

dam, amplectendam, & colendam Vocationem Divinam, reliquerunt, omnia; signum est, quòd eam summè appretiârint. Sicut nemo dubitare potest utrum negotiator ille Evangelicus, à S. Matthæo relatus appretiaverit illã gemmam, propter quam unam vendidit omnia, quæ habuit; ita nemo dubitare potest, utrum Apostoli appretiaverint vocationem DEI, quandoquidem propter illam amplectendam, non tantùm vendiderunt omnia, sed etiam gratis, absq; omni repetitione pretii reliquerunt. 2do eadem appretiatio Vocationis Divinæ, potest colligi ex Petri Apostoli verbis: *Benedictus DEUS* (a) *& Pater Domini Nostri IESU Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem IESU Christi è mortuis &c.* Posset hæc ipsa appretiatio Vocationis Divinæ ex multis aliis Scripturæ locis colligi, sed his immorari nolo, cum hæc etiam obviè legenti patere possunt.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, si vis Apostolos imitari, debes te circa

(a) 1. *Petr:* C. 1. V. 3.

circa Vocationem Divinam ad te ordinatam, gerere appretiativè, hoc est ita illam appretiare sicut illam appretiârunt Apostoli. Porro Apostoli appretiabant Vocationem Divinam 1mo in eo, quia illam præferebant omni alia dignitate mundi etiam Regia, ac Cæsarea, & quacunquè alia cogitabili, unde plùs gaudebant in Spiritu ex eo, quòd essent Apostoli, quàm si essent Reges, aut Cæsares. 2do appretiabant Vocationem Divinam Apostoli in eo, quia se indignos, immeritos, & absolutè incapaces judicabant ad munus Apostolicum, & sic inter alios Paulus Apostolus fatetur, quòd non sit *dignus vocari Apostolus*. 3tio appretiabant Vocationem Divinam Apostoli in eo, quòd quandocunq; se nominabant Apostolos, semper planè tantam dignitatem tribuebant gratiæ DEI, voluntati ejus, & misericordiæ: videre potes si placet Epistolas Pauli Apostoli, hic ubicunq; ab initio Epistolæ vocat se Apostolum, semper adjungit ad titulum, voluntatem DEI, aut gratiam JESU CHRISTI:

sic

sic 1mam Epistolam ad Corinthios incipit: *Paulus vocatus Apostolus IESV Christi, per voluntatem DEI*: eôdem modô initiat Epistolam 1mam ad Ephesios, & ad Colossenses, & utramq; ad Timotheum.

His tribus modis debes & tu appretiare Vocationem Divinam circa te factam, ad statum Religiosum. Imo debes eam præferre omni alia dignitate & honore temporali, & ita tibi persvadere, quòd status tuus Religiosus, ad quem te vocavit DEus sit felicior, tutior, quietior, & ad obtinendam animæ tuæ salutem aptior: si enim persvadebis tibi, quòd status Religiosus sit aptior ad obtinendam animæ tuæ salutem, facilè illum præferes quacunq; dignitate sæculi, etiam maxima in æstimatione hominum; quis enim non præferat illud quod est aptius medium ad assequendam vitam æternam præ illo, quòd non est taliter aptum, imô nec ex se ordinatum ad prædictum finem? Quilibet mercator magis præfert illas merces præ aliis, quæ illum plùs juvant

ad colligendum ex mercatura ulterius lucrum; quilibet *Dux* exercituum, magis appretiat illa arma, quæ plùs ei conducunt ad capessendam de hoste victoriam, quilibet Princeps magis æstimat illa consilia Ministrorum suorum, quæ efficaciùs prosunt ad melius disponendum Regni regimen; tandem quilibet artifex in specialiori valore & honore conservat illa instrumenta artis suæ, quæ eum magis subtilem & commendabilem reddunt in comparandis artefactis. Propter paritatem rationis, & planè omnimodam similitudinem, si status Religiosus & Vocatio Divina ad illum, meliùs, efficaciùs, securiùs, & plùs prodest ad assequendam animarum nostrarum salutem? (ut nemini dubium est) igitur vir Religiosus in ipso constitutus, plùs sibi debet appretiare statum religiosum & vocationem ad talem statum, quàm aliam dignitatem sæculi, etiam maximam. Jam autem non appretiat plùs statum religiosum & Vocationem Divinam ad illum, qui jam in prædicto statu consistens, ve-

natur

natur dignitates sæculi, capit Prælaturas, piscatur Purpuras, aut quascunq; alias sectatur eminentias. Proinde si tu jam factus Religiosus, adhuc tamen venaris dignitates sæculi, adhuc æstuas desideriô celsitudinis humanæ, signum est, quòd non appretias plùs Vocationem Divinam, & statum religiosum, quàm præfatas dignitates. Quis unquàm vidit Regem ambire officium aliquod inter rusticos? quis unquam audivit Principem aut Ducem exercituum, prætendere munus Vexilliferi, aut Colonelli super legiones militum? nullus horum talia ambit, nullus talia curat, nullus prætendit, aut desiderat, & hoc ideo, quia sicut Rex plùs appretiat Regiam majestatem, quàm officium inter rusticos, ita Princeps aut Dux exercituum, pluris æstimat Ducalem Clavam aut Purpuram, quàm munus Vexilliferi aut Colonelli. Unde si & tu pluris æstimares Vocationẽ Divinã ad statum Religiosum, quàm fastigia vana mundi, nunquam illa ambires, nunquam prætenderes hoc in Religione, quod in sæculo reliquisti.

2do

2do Debes appretiare Vocationē Divinam statumq; Religiosum, judicando te indignum hâc gratiâ DEI, ut sis Religiosus, sentiendo de te quòd sis incapax ineptus, & ferè ex omni parte insufficiens, ad tam sublimem statum salutariter obeundum, nisi te specialis gratia DEI adjuvet. Si enim haberes aliquam dignitatem & sufficientiam ad hoc, ut sis in statu Religioso, tunc haberes illam vel ex anima, vel ex corpore, vel ex unione inter animam & corpus, vel ex nobili Familia, vel ex aliquibus meritis ante vocationem elicitis? non habes ex anima, quia hæc nascitur & nata est in peccato originali, item nata est filia iræ & gehennæ. Licet autem in Baptismo deleta sit macula peccati originalis, tamen tu postquam ad usum rationis devenisti, innumeris animam tuam peccatis fædâsti, & sic te indignum Vocatione Divina ad statum Religiosum fecisti. Non habes item prædictam dignitatem & sufficientiam ex corpore, quia hoc præcipuè secundùm se sumptum, est contemptibi-

le,

le, corruptibile, defectibile, mortale, fætidum, sarcina stercoris, & esca vermium. Non habes etiam prædictam dignitatem ex unione inter animam & corpus, quia & hæc ita est defectibilis, infirma, corruptibilis, mortalis, sicut & corpus tuum ex quo constas, nec est tantæ æstimabilitatis, ut possit mereri Vocationem Divinam ad statum Religiosum. Non habes etiam præfatam dignitatem ex nobili Familia, supposito hôc quòd ex viliori conditione ortum habeas. Quòd si autem defacto ex nobilibus Parentibus nativitatem tuam ostendis, nihilominus non potes te sentire dignum statu Religioso, quia multi nobiliores, illustriores, ac celsiores amplexi sunt Vocationem Divinam talem, qualem tu amplexus es, & tamen se nunquam dignos putârunt hâc gratiâ DEI, quòd eos vocaverit ad dictum statum Religiosum; sic Helena Imperatrix Constantini Magni Mater (a) post inventam Domini nostri JESU Christi Crucem & post multas fundatas Ec-

cle-

(a) *Historia Ordinis Nostri in Libro cui titulus: Mausoleum S. Iacobi Apostoli.*

clesias, deposita Cæsarea Majestate, habitum Canonissarum Sancti Sepulchri amplexa est: sic Baldvinus Tertius Rex Hierosolimitanus Potentissimus, abdicatô Thronô & sceptris Regni Hierosolymitani pariter Ordinem Canonicorum Regularium Custodum Sſmi Sepulchri ingressus & professus est: hoc fecerunt & alii innumeri, genere, antiquitate, Familiâ & Purpuris nobilissimi, Celsissimi, Illustrissimi, & tamen nunquam se dignos judicabant Vocatione Divina, & statu illo Religioso quem arripuerunt, imò continuò protestabantur, quòd sint indigni tantâ gratiâ & benevolentiâ DEI. Licet ergo & tu ducas nativitatem tuam ex nobili, Senatoria, Ducali, Regia, vel tandem Cæsarea Familia, scias quòd nunquam dignus sis, hac miseratione Divina, quòd te ad hunc statum Religiosum vocaverit. Et tamen toties te dignum putas miseratione Divina & statu Religioso, quoties conversando inter alios conditionis inferioris Professos, stultè inflaris, & tua nobilitate gloriaris, ex hacq; inflati-

flatione cæteros contemnis. Deſine inflari, diſce humiliari; & ſic te indignũ ſenties eô, quidquid habes, & quidquid es. Tandem non habes prædictam dignitatem ex ullis meritis ante ingreſſum ad Religionem elicitis, quia (ut jam oſtendi ſuperiùs) ſi tua interiora bene inveſtigaveris, invenies totam vitam tuam immerſam fuiſſe peccatis, & deditam cocupiſcentiæ mundi, carnis, & oculorum: penſatis, itaq; his omnibus, ſimpliciter nihil habes, ex quo te poſſis judicare dignum hoc ſtatu Religioſo in quo exiſtis, talem te ergo ſemper judica, & quantùm potes, tantùm appretia Vocationem Divinam ad ſtatum religioſum.

3tio deniq; debes appretiare Vocationem Divinam ſtatumq; Religiosũ, tribuendo totam dignitatem tuam & æſtimationem quam habes ex hoc ſtatu, ſuperabundanti gratiæ, immenſæ miſericordiæ, & ſvaviſſimæ benevolentiæ Divinæ, repetendo quotidie illud Apoſtoli. *Gratiâ DEI ſum, id quod ſum: vel illud: Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.*

CAPUT

CAPUT II.

In quo proponitur Exemplar finîs Vocationis Apostolicæ.

FInis Vocationis Apostolicæ triplex cogitari potest, alius respectu totius Ecclesiæ, alius respectu ipsius CHRISTI Domini, alius ex vi votorum substantialium Religionis ab Apostolis emissorum. Licet autem de quolibet fine multa dicenda occurrant, tamen primò omissô, brevitati studendo, de reliquis duobus agemus; proinde caput præsens in tria puncta dividemus, in primo agetur de fine Vocationis Apostolicæ respectu CHRISTI Domini, in secundo de fine ejusdem Vocationis ex vi votorum ab Apostolis emissorum. In 3tio agetur de qualitatibus profectui Apostolico convenientibus. Proinde sit

PUNCTUM I.

In quo proponitur exemplar finîs Vocationis Apostolicæ respectu ipsius Christi

sti

sti Domini: ubi etiam simul ostenditur finis Ordinis Canonicorum Regulariū, Custodum SSmi Hierosolymitani Sepulchri, distinctivus ac specificativus ejusdem Ordinis, ab omnibus aliis Religionibus.

FInis Vocationis Apostolicæ sumptus respectu totius Ecclesiæ est piscatura hominum seu prædicatio Evangelij, juxta illud scripturæ: *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum:* item juxta illud: *euntes docete omnes gentes &c.* Finis Vocationis Apostolicæ, sumptus respectu ipsius CHRISTI Domini non est alius, nisi ut Apostoli sint testes CHRISTI Domini Resurgentis, seu est ipsum testimonium de CHRISTO Resurgente datum ab Apostolis. Hic finis Vocationis Apostolicæ colligi potest, ex oraculo ipsius CHRISTI Domini, qui ascensurus in cælum cum interrogaretur ab Apostolis, utrum in hoc tempore restituendum sit Regnum Israel? respondit eis: *Non est vestrum nôsse tem-*

pora & momenta, (a) *quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.* Ecce habes evidenter finem Apostolorum & Vocationis eorum in his verbis: *Et eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.* Præterea constat idem finis Vocationis Apostolicæ, pariter ex Actorum cap. 1. cum enim post prævaricationē Judæ proditoris, & post Ascensionem Christi Domini, Princeps Apostolorū Petrus, censeret descendendum esse ad electionem duodecimi Apostoli, in locum prædicti Judæ, finem eligendi Apostoli, non alium expressit ibidem Sanctus Petrus, nisi hunc, ut cum cæteris Apostolis actu existentibus, & in fide perseverantibus, esset testis Resurrectionis Christi Domini, ut manifestè patet, ex verbis ipsius S. Petri dicentis: *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quô intravit & exivit inter nos Dominus IESVS inci-*

(a) *Actor: Cap: 1. V. 7.*

incipiens à Baptiſmate Ioannis, uſq; in diem quâ aſſumptus eſt à nobis, teſtem Reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. Ex quo ſacræ literæ contextu manifeſtum eſt, quòd Sanctus Petrus hoc fine voluerit eligere duodecimum Apoſtolum, in locum Judæ, ut eſſet teſtis Reſurrectionis Dominicæ cum aliis, adeoq; finis Apoſtolorum & Vocationis eorum, eſt etiam hic, ut ſint teſtes Reſurrectionis Domini.

Candide Imitator vitæ Apoſtolicæ, quem vides eſſe finem Apoſtolorum, idem eſt omnino finis & Canonicorum Regularium Sſmi Hieroſolymitani Sepulchri; hi enim ſicut indubitatè ducũt originẽ, Inſtitutũ, & totam profeſſionem ſuam ab ipſis, immediatè Apoſtolis, præſertim à Diviniſſimo Jacobo Fratre Domini, (ut conſtat ex Hiſtoria Ordinis noſtri) ita indubitatè ab immemorabili tempore, illi ſoli ſucceſſivè poſt tempora Apoſtolorum, deputati ſunt Cuſtodes Sacroſancti Sepulchri CHRISTI Domini: certè deputati ſunt cuſtodes non hoc fine, ut penes

illud vacui, otiosi, & dormientes sederent, sed potiùs hoc fine, ut sicut Apostoli, ita & illi sint testes Resurrectionis CHRISTI Domini: unde propter hoc, ab antiquissimis, gravissimis, & probatissimis Scriptoribus Ecclesiasticis vocantur Canonici Resurrectionis Dominicæ. Sciendum autem est, quòd finis Canonicorum Regularium Custodum Ssmi Sepulchri ut sint testes Resurrectionis Dominicæ, non est qualiscunquè sed distinctivus, specificativus, & discriminativus, eorundem ab omnibus aliis Religionibus, non tantùm Mendicantibus, non tantùm Monasticis & Eremiticis, sed etiam Canonicis: quia ille finis est distinctivus, specificativus, & discriminativus, unius Religionis à cæteris omnibus, quem finem sola aliqua & unica Religio profitetur ex vi sui Instituti, cæteræ autem Religiones nec eundem finem habent, nec profitentur ex vi sui Instituti. Porro soli Canonici Regulares Ssmi Sepulchri, hunc finem profitentur ex suo antiquissimo Instituto, ut sint testes Resurrectionis Dominicæ;

nicæ; quia illi soli ex vi sui primi Instituti per se & non per accidens, statim ab initio Ecclesiæ deputati sunt Custodes Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri; nulla autem alia Religio est per se instituta ad hoc, ut ex obligatione primaria Professionis suæ, testetur Resurrectionem CHRISTI Domini, consequenter finis hic Canonicorum Regularium Ssmi Sepulchri, vi cujus sunt testes Resurrectionis Dominicæ, est distinctivus, specificativus, & discriminativus eorundem Canonicorum ab omni alia Religione, non tantùm Mendicante, Monastica, aut Eremitica, sed etiam quacunq; alia Religione Canonicorum Regularium.

Licet autem veritas ista certa sit in Religione mea, & apud eos omnes qui illius Institutum devotè elegerunt, aut ab aliquo fideliter didicerunt, tamē propter alios prædictum nostrum Institutum non adeo perfectè scientes, in confirmationem allatæ veritatis adfero testimonium, nempe auctoritatem Eminentissimi Jacobi de Vitriaco, primùm

Accolensis deinde Tusculani Episcopi, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sanctæq; Sedis Apostolicæ in Terra Sancta, in Imperio, & tandem in Francia, Legati: hic vir probatissimus & celeberrimus, in Lib: Orientalis seu Hierosolymitanæ & Occidentalis Historiæ, inter alia cap: 61. hæc habet: *Cum autem per mundum universum à fidelibus dicatur: Surrexit Dominus de Sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno: Soli Canonici Ecclesiæ Resurrectionis Dominicæ, speciali gaudent prærogativa dicentes, & ad oculum demonstrationem facientes: Surrexit Dominus de hoc Sepulchro: Similiter in Evangelio Paschali cùm dicitur: Surrexit non est hîc; Diaconus qui legit Evangelium: digitô demonstrat Dominicam Sepulturam.* Canonici Ecclesiæ Resurrectionis Dominicæ, non sunt alii nisi Canonici & Custodes Ssmi Hierosolymitani Sepulchri, si ergo illi soli speciali gaudent prærogativa ad hoc, ut dicant: *Surrexit Dominus de hoc Sepulchro:* proinde manifestum est, quòd illis solis specialiter hoc competat, adeoq; specialis seu specificativus finis eorũ

est,

eſt, *teſtari* Resurrectionem CHRISTI. Deinde nulla Religio habet iſtam prærogativam ut cum in illo Evangelio Paſchali dicitur: *Surrexit non eſt hîc:* nulla inquam Religio habet iſtam prærogativam ex primævo ſuo Inſtituto, imò nec ex conſvetudine, ut Diaconus legẽs ſolenniter Evangelium, demonſtret digitô Dominicam Sepulturam: & quia ſola Religio Canonicorum Sſmi Hieroſolymitani Sepulchri, habet dictam prærogativam, ideo illi ſoli ſpecialiter proprium eſt teſtari Reſurrectionẽ CHRISTI Domini: demonſtrare enim digitô Dominicam Sepulturam ſeu Sepulchrum CHRISTI Domini, in quo corpus ejus pretioſum cum aromatibus honorificè ſepultum uſq; in diem tertium requievit, die autem tertio reſurrexit, nihil eſt aliud, niſi teſtari Reſurrectionem veram CHRISTI Domini.

Auctoritati Eminentiſſimi Jacobi de Vitriaco, accedit non poſtrema auctoritas Baſilii Serenii Mediolanenſis, hic probatiſſimꝰ Auctor expreſsè refert, (ut hîc in Præfatione deduximus) quòd

Clerici Canonici Dominici Sepulchri Custodes, duos Ordines militares nempè Sancti Joannis, & Sancti Jacobi Compostellani ad Peregrinorum præsidium, Sacrosanctum Hierosolymitanum Sepulchrum adire & visitare cupientium, instituerint, fundaverint, & signis Dominicæ Passionis investîerint. Porro certissimum est, quòd dictos Ordines Militares ad præsidium Peregrinorum, non alio fine instituerint, nisi hoc ut securiùs, tutiùs ac commodiùs, possit Sacrosanctum CHRISTI Domini Resurgentis visitari Sepulchrum, adeoq; ulteriùs hoc fine, ut per dictum præsidium omnibus Peregrinis exhibitum, testarentur Resurrectionem Dominicam. Quod quia nullus Ordo & nulla Religio præstitit, nisi sola Canonicorum Resurrectionis Dominicæ, ideo manifestum est, quòd finis eorundem Canonicorum, distinctivus eorundem ab aliis Ordinibus, sit hic, ut sint testes Resurrectionis Dominicæ.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, qui profiteris vel profiteri cogitas,

Apostolicum Canonicorum Resurrectionis Dominicæ Institutum, scias hoc & discas diligenter, quòd præter prædicationem (de qua supra innuimus) specialis finis Vocationis & Professionis tuæ, sit hic, ut sis testis Resurrectionis Dominicæ, eô vel simili modô, quô & quali modô fuerunt & Sancti Apostoli testes prædictæ Resurrectionis. Qualiter autem Apostoli fuerint testes Resurrectionis Dominicæ, patebit ibi, ubi ex professo dabimus modos testandæ Resurrectionis Dominicæ.

PVNCTVM II.

In quo proponitur exemplar finis Vocationis Apostolicæ, dimanans ex vi & natura Votorum substantialium Religionis, ab Apostolis emißorum.

FInis Vocationis Apostolicæ dimanans ex vi & natura Votorum Substantialium Religionis ab Apostolis emissorũ,

est

est profectus in perfectione seu tendentia ad perfectionem. Quòd autem dictus profectus seu tendentia ad perfectionem sit finis Vocationis Apostolicæ, manifestum est ex eo, quia quicunq; emittit vota substātialia Religionis, nempe Paupertatem, Obedientiam, Castitatem, illius finis & Vocationis ejus ex vi & natura ipsorum votorum ab illo emissorum, est profectus in perfectione seu tendentia ad perfectionem, eundo de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionem, de bono in bonum ut certum omnib9 Theologis, Doctoribus, ac ipsis Asceetis: siquidem itaq; Apostoli emiserunt vota substantialia Religionis, ut jam ab initio deduximus, (in dispositione operis præsentis) ideò sine dubio finis Apostolorum & Vocationis ipsorum, ex vi votorum dimanans, est profectus seu tendentia ad perfectionem. Constat hæc veritas etiam ex verbis ipsius CHRISTI Domini, hic enim Joan: 15. Capite, finem Vocationis Apostolicæ assignat hunc, ut Apostoli eant & fructum afferant, dum inquit: *Ego elegi*

vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis. Fructum afferre in via Spirituali, quid est aliud nisi proficere Spiritualiter? adeoq; quando CHRISTUS Dominus assignavit Apostolis finem hunc, ut fructum adferant, eo ipso assignavit etiam hunc, ut proficiant: quia fructus Spiritualis (præsertim apud eos qui se votis obstringunt) non potest unquam commodiùs adferri, nisi proficiendo & tendendo ad perfectionem, deficiendo enim vel recedendo à tendentia præfata, non tam fructum adferimus, quàm potiùs sterilescimus.

Præter hæc reduco tibi in memoriam, quod dicit CHRISTUS Dominus ad Apostolos Math: 15. *Euntes ergo docete omnes Gentes*: quid est hoc, quòd CHRISTUS Dominus demandet Apostolis eundo docere: *Euntes docete*: utiq; ordinariè omnes Doctores, Magistri, Professores, Prædicatores, Concionatores, stando vel sedendo in Cathedris docent? quare ergo CHRISTUS Dominus nec stando, nec sedendo, injungat docere Apostolis, sed eundo? *euntes docete*: nempe

pe instruere voluit suos Apostolos, quòd illorum finis sit non tantùm docere, sed etiam ire; ire autem non tantùm de Civitate in Civitatem, de Gente in Gentem, sed etiam de virtute in virtutem. Proinde quando CHRISTUS Dominus, inquit: *Euntes docete*: intelligi potest sic: *proficientes de bono in bonum, euntes de virtute in virtutem docete &c.* Unde & in citatis ex Joanne Evangelista verbis, non solùm dictum est, *ego elegi vos, & posui vos, ut fructum afferatis*, sed etiam additum est: *Ut eatis*: imò priùs positum est, *ut eatis*, tum deinde, *ut fructum afferatis*: ut ostendatur, quòd ad Apostolos pertineat hoc utrumq; nimirum & ire de virtute in virtutem, & fructum afferre: imò priùs ire, tum deinde ex tali via & progressu virtutum, fructum adferre. Hunc finem Vocationis Apostolicæ, ut meliùs, firmiùs, & stabiliùs imprimeret CHRISTUS Apostolis, antequam eundem ipsis proponeret, comparavit se ipsum viti, Apostolos autem palmitibus, dum inquit loco citato ibidem:

ego

ego sum vitis vos palmites; & rectè: palmitum enim natura, proprietas, & qualitas est, qualibet æstate accrescere, quôlibet vere in longum, latum, & profundum proficere, quôlibet annô tendere sursum, & gemmantibus seu pullulantib9 surculis, cælũ æmulari. Quando ergo CHRISTUS Dominus comparavit suos Apostolos palmitibus, docere illos voluit, quòd sicut palmites vitis, ita & illi debeant qualibet anni parte crescere in virtutibus, quolibet mense, die, horâ, momentô proficere in latitudine mandatorum DEI, in altitudine charitatis, in profunditate humilitatis, omnibusq; aliis bonorum operum meritis, tendere semper altiùs, & de die in diem ire de virtute in virtutem. Verè in Apostolis impletum illud, quod in Spiritu prædixit Propheta Psal: 83. ubi inquit. *Ecce benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem:* Legislator iste est CHRISTUS Dominus: illi verò de quibus dicitur: *ibunt de virtute in virtutem:* primariò & potiori jure sunt Apostoli, illi enim sicut primi post CHRI-

STUM

STUM Dominum, & Beatissimam Virginem Matrem ejus, emiserunt vota substantialia Religionis, ita illi primi iverunt de virtute in virtutem, nobisq; vestigia reliquerunt, ut exemplô eorum eamus de virtute in virtutem, & tendamus de perfectione in perfectionem.

Inter cætera CHRISTI prodigia ac mysteria, illud etiam specialiter observandum est, quòd dum venerit in mundum, & tandem Apostolos vocaverit, iisdem majoris momenti opera, non alibi sed frequentissimè in monte, vel summitate montium dignatus sit exhibere: sic quàm primùm vocavit Apostolos, primam doctrinam de octo beatitudinibus, dedit eis in monte, ut constat Matth: cap. 5. *Videns autem IESVS turbas, ascendit in montem, & cum sedisset accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes Spiritu quoniam ipsorum est Regnum Cælorum &c.* Constat hoc ipsum ex multis aliis Scripturæ locis: sic Matth: cap: 14. Apostolos jussit CHRISTUS Dominus se præcedere trans fretum, & ipse

abiit

abiit in montem solus orare. Matth: cap: 14. non alibi transfigurationem notatur fecisse nisi in monte: *Et post dies tres, assumpsit IESUS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matth: cap: 24. non alibi nisi in monte dedit CHRISTUS doctrinam Apostolis de extremo judicio: *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum Discipuli, secretò dicentes: dic nobis quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis? & respondens IESUS dixit eis, videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent, audituri enim estis prælia & opiniones præliorum* &c. Matth: cap: 16 non alibi, nisi in monte prædixit Apostolis, proximé futuram eorum fugam instante Pasione sua: *Et hymnô dictô exierunt in montem Oliveti, tunc dicit illis IESUS omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim, percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis.* Tandem ipsum opus Redemptionis totius

tius naturæ humanæ non alibi perfecit Christus Dominus nisi in monte, post Resurrectionem quoq; suam, dedit Apostolis potestatem docendi & baptizandi omnes gentes, non alibi nisi in monte, *Vndecim autem Discipuli* (a) *abierũt in Galilaam in montem, ubi constituerat illis IESVS. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Et accedens IESVS locutus est eis dicens, data mihi est omnis potestas in Cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis.* Vltimatò tandem dum esset ascensurus in Cælum, non ex alio quocunq; loco, sed ex monte ascendit, ut colligi potest ex Actorum cap: 1: Et in fine mundi judicabit Orbem terrarum, non in aliqua diffusissima & latissima planitie, sed in valle Iosaphat juxta illud scripturæ, *Ioel Cap: 3. v. 2: Congregabo omnes gentes, & deducã eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo.* Porro vallis accedit quodam modo ad rationẽ, & speciem vel

(a) *Mat: 28 C. V. 16.*

ſaltim aliqualem ſimilitudinem montis.

Ratio horum omnium, quòd CHRISTUS Dominus, tam multa & tam admiranda opera ſpecialiter in monte egerit, aſſignari poteſt hæc 1mo, quia ipſe DEUS Optimus Maximus, decem præcepta Moyſi, non in alio loco, niſi in monte dedit: CHRISTUS Dominus cùm venerit non ſolvere legem, ſed adimplere, dictaq; præcepta ad obſervationem deducere voluerit, ideo dogmata ſua, doctrinas, & inſtructiones non alibi niſi frequentiſſimè in monte exhibuit. 2da ratio poteſt aſſignari hæc, quia CHRISTUS Dominus eſt mons, ſupra quem fundanda erat, & fundata eſt tota Eccleſia, ut ergo Apoſtolos ſuos totamq; Eccleſiam doceret, ſe eſſe montem in vertice montium, præcepta ſua totamq; planè doctrinam in monte, & montibus exhibuit.

Sed præterea poteſt etiam aſſignari ratio hæc: ex una parte CHRISTUS Dominus emiſit vota ſubſtantialia Religionis, Paupertatem, Obedientiam, & Caſtitatem: ut ſupra innui ab initio; ex

altera, etiam Apostoli prædicta vota emiserunt, ut pariter ostendi hîc ab initio in dispositione præsentis operis, tam ex Sancto Augustino; quam ex S. Thoma: quoniam autem eorum omnium, qui vota substantialia Religionis emittunt, finis, obligatio, & munus principale est; proficere de virtute in virtutem, & tendere ad montem perfectionis, ideo CHRISTUS Dominus volens hunc finem continuò innuere Apostolis, & docere eos quòd finis ipsorum, & obligatio, sit proficere & tendere in montem perfectionis, continuò etiam dabat eis doctrinas in monte, transfiguratus est in monte, oravit in monte, crucifixus est in monte, tandem ascendit in Cælum de monte.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, qui Institutum Apostolicū vel quodcunq; aliud profiteris, aut profiteri intendis, scias ante omnia, quòd sicut Apostolicæ, ita & vocationis tuæ finis, ex vi & natura votorum substantialium Religionis dimanans, sit profectus de virtute in virtutem, seu tendentia ad mon-

tem

tē perfectionis. Non hac intentione vocavit te DEus ad Religionem, ut de vitio in vitium proficias, non hoc motivo traxit te ſvaviter ad ſtatum Regularem, ut de uno ſcelere in alia ſcelera progrediaris, ſed potiùs hoc fine, ut de virtute in virtutem, de bono in aliud bonum proficias, & integro vitæ curſu tendas ad montem perfectionis. Apertè hoc ipſum inculcat nobis Doctor Gentium Paulus, dum inquit: *Elegit nos in ipso* (a) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu ejus*; si hoc fine elegit nos DEus ut eſſemus Sancti & immaculati; proinde non hoc fine ut ſimus ſceleſti, defectuoſi, inhoneſti, ebrioſi, carnales, guloſi, ſuperbi, elati, invidioſi, mordaces, contentioſi, avari, leves, inconſtantes, habituati in malo, incorrigibiles &c. &c: ſed potiùs hoc fine, eô motivô elegit nos DEus ad ſtatum Religioſum, ut ſimus caſti, ſobrij, humiles, temperantes, pauperes, obedientes, concordes, unanimes, graves, ſedati, conſtantes, flexibiles à malo ad bonum, omnem corre-

(a) *ad Ephes: Cap: 1. V. 4.*

ctionem suscipientes, consequenter hoc fine elegit nos DEUS, ut proficiamus de virtute in virtutem, ut tendamus de perfectione ad perfectionem, verbô ut simus Sancti & immaculati. Sanctitas enim viri Religiosi, non debet esse talis ut postquam unam virtutem assecutus fuerit, jam ampliùs nihil agat & nihil curet: sed potiùs debet esse talis, ut postquam hanc vel illam perfectionem exercuerit, illamq; per continuum exercitium assecutus fuerit, deinde convertat se ad aliam assequendam, & hâc obtêtâ iterum ad aliam, & sic usq; ad mortem, vel tam diu quàm diu non steterit in auge perfectionis. Vita Religiosi debet esse tanquam ignis elementaris, hic etiamsi in infimo constituatur loco, etiamsi abditissimis & occultissimis claudatur cavernis, vel nulli manifestis incarceretur antris, aut tandem à superficie suprema aliquô obstaculô impediatur, tamen ille non potest contineri in infimis, sed ad superna nititur, non potest occultari vel incarcerari ullis etiam subterraneis cuneis, sed extra erumpit,

ad altiora sese erigit, & tam diu sursum tendit, quàm diu ad centrum suæ activitatis non perveniat.

Hâc viâ debet proficere vir Religiosus, nunquam debet serpere in infimo alicujus virtutis gradu, sed altiora æmulari tenetur, nulla vi, nullâ violentiâ, nullô obstaculô debet se dispensare à profectu majore, sed potiùs ad majora & majora contēdendū est ipsi, & tam diu debet tendere sursum in perfectione, quàm diu non deveniet ad centrum perfectionis consummatæ. Sicut enim aqua, dum in uno fixa consistit loco sordes concipit, & tantum fætorem naribus objicit, ut sustineri nequeat; tantam amaritudinem contrahit, ut in illa soli putridi vermes nascantur, nobilissimi autem & celeberrimi pisces suffocentur: ita vir Religiosus dum in uno alicujus virtutis subsistit gradu, nec tendit ad alias majores & majores, perfectiores & perfectiores virtutes acquirendas, tunc paulatim incipit sordere in conspectu DEI, ita ut de illo dici possit: *Sordes* (a) *ejus in pedibus ejus*; dein-

(a) *Thren: C. 1. V. 9.*

de tantam intra se contrahit amaritudinem, ad cæteras virtutes assequendas, ut in anima ejus soli vermes conscientiæ generētur, jam autē nobilissima virtutum semina penitus supprimantur. Sicut autem aqua dum in uno non consistit loco, sed currit ac recurrit de hoc littore ad aliud, est libera ab omni sorditie & fætore, nullam contrahit amaritudinem, sed est aptissima ad fovenda innumera pisciū genera & species, item ad alios ipsorum hominum varios usus; ita vir Religiosus quando non consistit in uno gradu alicujus virtutis, sed de virtute in virtutem progreditur, de bono in bonum majus, de perfectione in aliam majorem perfectionem ascendit, evadit bonus odor CHRISTI, imbibit dulcedinem bonorum operum magis ac magis augendorum & nutriendorum, fitq; tandem aptissimus & capacissimus ad exercenda & fovenda variarum virtutum germina, suo statui & perfectioni convenientia.

PVN-

PVNCTVM III.

In quo proponitur Exemplar profectus Apostolici, seu qualitatum profectui Apostolico convenientium.

QValitates seu proprietates profectus Apostolici possunt assignari tres, nimirum quòd fuerit magnus in tempore brevi, quòd fuerit continuus, & fervidus. De his singulis tribus Paragraphis agemus, quartum addemus de signis tepiditatis. Proinde sit.

§ Primus.

In quo proponitur prima qualitas seu proprietas profectus Apostolici.

PRima qualitas profectus Apostolici est hæc: quòd profectus Apostolicus in parvo tempore magnus, in angusto spatio ubertimus, in brevi intervallo notabilis, & planè immensus fuerit: illud enim tempus quod mediat inter Ascensionem CHRISTI & Pentecosten, est valde breve & angustum, quia nec duas planè hebdomadas continet juxta

numerum præsentis Ecclesiæ, adeoq; probabile est, quòd & ab initio nascentis Ecclesiæ idem tempus, medium inter Ascensionem & Pentecosten, erat breve & angustissimum. In hoc ergo tam brevi & stricto tempore, amplissimè profecerunt Apostoli: & sic *1mo* profecerunt in fide, quia cum CHRISTUM ascendentem in Cælum intuerentur, & interim duo viri astiterint juxta illos in vestibus albis, eisq; dicerent: *Viri Galilæi* (a) *quid statis aspicientes in Cælum? hic IESVS qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum*; prædicti Apostoli nullam quæstionem moverunt utrum defacto veniet an non? sed absolutè indubitanter crediderunt futurum adventum ejus; non sciscitabantur quando veniet? sed absq; omni contentione, dubietate, & anxietate præbuerunt assensum omnibus illis, quæcunq; duo viri juxta illos adstantes nunciaverunt. *2do* in tam parvo tempore profecerunt in spe, quia siquidem CHRISTUS Dominus ascendens in Cælum, promiserat eis Spiri-

(a) *Actor: C. 1. V. 11.*

Spiritum Sanctum, & mandaverat ut accepto Spiritu Sancto, sint ipsi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ, ideo sperantes hujus promissionis effectum, ex illo loco unde ascendebat CHRISTUS in Cælum reversi sunt Jerosolymam, ut ibi & Spiritum Sanctum juxta factam sibi promissionem acciperent, & essent CHRISTO Domino testes in Jerusalem, cæterisque gentibus & nationibus. Ubi hoc etiam bene advertendum est, quòd dum CHRISTUM ascendentem intuerentur Apostoli, & cum nubes Cæli susciperet eum ab oculis eorum ita, ut ampliùs eum non viderent, tamen Apostoli nihil exinde tristati, nihil consternati sunt, (Scriptura enim nullam mentionem fecit de hac consternatione) sed quàm primùm CHRISTUS ascédit in Cælum, statim Apostoli iter suum converterunt in Jerusalem testante Scriptura ibidem: *Tunc reversi sunt* (a) *Ierosolymam, à monte qui vocatur Oliveti &c.* Quare precor, licet Magistrum suum, Præceptorem suum, Patrem, Dominũ, imò

(a) *Actor: C. 1. V. 12.*

imò & DEUM ex suo gremio amiserit, tamen minimè contristati vel consternati notantur? ecce ideo quia ex una parte credebant omnia eventura illa, quæ ipsis CHRISTUS Dominus prædixerat, & quòd cum illis futurus erat usq; ad consummationem sæculi: ex altera parte ideo, quia sperabant superventurum in se Spiritum Sanctum, nisi enim sperâssent, defacto & post Ascensionem CHRISTI consternati fuissent, & Jerosolymam nunquam reversi fuissent: qui enim sperat id sibi omnino eventurum quod adimitur; nunquam exinde tristatur vel animô cadit; sed ita se immotum gerit, acsi nihil adimeretur.

3tio Apostoli in illo tam brevi & angusto tempore, profecerunt in charitate: quia à loco Ascensionis CHRISTI Domini omnes simul reversi sunt Jerosolymam, omnes simul ingressi sunt cænaculum, ibidem expectantes voluntatem DEI, & promissionem CHRISTI: simultas autem seu societas vera multorum, sine charitate esse non potest: quia ergo Apostoli simul revertebantur, simul

simul ibant, simul ingressi cænaculum, signum est quòd erat charitas inter illos. 4to profecerunt in orando concorditer, ut testatur de illis expresse Scriptura: *hi (a) omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* 5to tandem Sancti Apostoli in tam arcto tempore profecerunt in votis substantialibus Religionis, nempe in obedientia, paupertate, & castitate; profecerunt in obedientia, quia in Jerusalem expectabant promissionem CHRISTI, sicut eis præceperat; profecerunt in paupertate, quia in illo cænaculo, ad quod post Ascensionem convenerant, sine dubio sicut orationē, ita & omnia temporalia, vg. victum & potum habebant communia; tandem profecerunt in castitate, quia persistebant in oratione, non tantùm cum MARIA Matre JESU, sed etiam cum aliis mulieribus quæ tunc præsentes erant, & tamen nihil egerunt tale, quod esset repugnans castitati, ut est certum ex fide: eò enim ipsò, quia miraculum & prodigium castitatis MARIA ibi aderat, non decebat ut aliquid repugnans casti-

(a) *Actor. C. 1. V. 14.*

tati

tati fieret. 6to tandem in illo brevi tempore, profecerunt Apostoli in unanimi electione duodecimi Apostoli substituendi, in locum proditoris Judæ, illis enim ipsis diebus medijs inter Ascensionem & Pentecosten exurgens Petrus in medio Fratrum, proposuit eis implendam esse Sacram Scripturam, quam Spiritus Sanctus prædixit per os David, adeoq; descendendum esse ad electionem duodecimi Apostoli; descenderunt ad electionem, orarunt, & tandem elegerunt unum ex duobus: *Et statuerũt duos* (a) *Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam: Et orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nôsti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerij hujus & Apostolatûs, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* 7mo decurrente brevi tempore profecerunt Apostoli in affectiva executione finis illius, ad quem vocati sunt: porro finis Apostolorum ad quem vocati

(a) *Actor:* C. 1. V. 23.

cati sunt, est etiam hic ut sint testes Resurrectionis Dominicæ, (ut jam supra dictum est) hunc autem finem in illo brevi intervallo, licet non effectivè, tamen affectivè impleverunt Apostoli, quia post Ascensionem, & ante festa Pentecostes descenderunt ad electionem duodecimi Apostoli, eumq; defacto elegerunt non alio motivo & fine, nisi ut sit unâ cum aliis testis Resurrectionis Dominicæ, ut manifestum est ex Actorum Cap: 1.

8vo piè credibile est, quòd in illo brevi tempore præter has virtutes quas enumeravimus, & quæ ex Sacra Scriptura colligi possunt, profecerint Apostoli etiam in aliis virtutibus; illud enim Sacrum Collegium Apostolicum, habens tunc intra se Pretiosissimam CHRISTI Domini Matrem, & Virginem Immaculatè conceptam, nihil non Sanctum, nihil non pium, cogitare vel agere potuit. Sicut autem in tam angusto tempore, & adhuc ante acceptioné Spiritus Sancti, profectus Apostolicus erat notabilis, magnus, & planè immé-

sus

ſus, ita poſt acceptionem Spiritus Sancti, longè notabilior, amplior, & major erat, pariter intra breve & arctum tempus. Vix enim Spiritus Sanctus deſcendit in Apoſtolos, ſtatim cæperunt loqui variis linguis magnalia DEI. Quod cum admirarentur Gentes, & populi plurimi protunc in Jeruſalem ex omni natione quæ ſub Cælo eſt, exiſtentes, putarentq; Apoſtolos eſſe muſtô ebrios, Petrus tanquam Princeps Apoſtolici Collegij, refutavit hanc erroneam opinionem Gentium, oſtenditq; hoc impletum eſſe, *quod dictum eſt per Prophetam Ioël: Et erit in noviſſimis diebus: (dicit Dominus) effundam de ſpiritu meo* (a) *ſuper omnem carnem, & prophetabunt Filij veſtri, & Filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Deinde ex ſacris ſcripturis, teſtatus eſt & probavit apertiſſimè Reſurrectionem CHRISTI Domini ut videre eſt Actorum cap. 2. quod apertum teſtimonium Reſurrectionis Dominicæ, cùm audirent gentes & nationes, ſtatim plurimi ex illis converſi ſunt ut te-

(a) *Actor: C. 2. V. 16.*

statur Scriptura: *His autem auditis* (a) *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos; quid faciemus viri Fratres? Petrus verò ad illos Pænitentiam* (inquit) *agite & baptizetur unusquisq; vestrûm in Nomine IESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti &c.* Factum ergo est, quòd plurimi adhærerent tam Sanctæ doctrinæ Petri, & in tam arcto tempore tria millia hominum ad veram fidem accesserint, ut testatur Scriptura: *Qui autem receperunt* (b) *sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.* O verè notabilis! ô verè grandis! ô verè magnus profectus Apostolicus, una die lucrari circiter tria millia animarum! Neq; hîc jam terminatus est profectus Apostolicus, processerunt Apostoli ulteriùs, docuerunt quod ipsi à CHRISTO didicerunt, testati sunt Resurrectionem Dominicam, & in brevi tempore tantum suâ doctrinâ profecerunt, ut de die in diem augeretur congregatio fidelium ex omni gente & natione, ut testatur

(a) *Actor: C. 2. V. 37.* (b) *Ibidem V. 41.* Scri-

Scriptura. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum,* (a) *ita ut in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltim umbra illius obumbraret quemquam illorum & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinarum Civitatum Ierusalem, afferentes ægrotos, & vexatos à spiritibus immundis qui curabantur omnes.* Lege si placet & diligenter revolve Acta Apostolorum, & singula singulorum facta, tunc manifestè videbis, quòd Apostoli plùs per aliquot menses, imò dies profecerint, quàm alii, si per aliquot sæcula viverent.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, si vis vel ex professione tua obligaris Apostolos imitari, exemplô ipsorum cura proficere multùm in tempore parvo; studeas notabili gradu & passu tendere ad perfectionem, in arcto angustoq; status tui decursu; viam mandatorum DEI ita velociter decurras, ut latum, amplũ, & grandem fructum brevi adferas. Non dilates annos, sed profectum, non ex-

(a) *Actor: C. 5. V. 14.*

tendas lustra vel sæcula, sed tendenti-am ad perfectionem. Arctam & angustam vitam habes, sed ad vivendum, non ad proficiendum; una enim die, imò etiã uno instanti, tantus potest esse profectus, ut adæquet vitam triginta, vel mille annorum, (imò totam æternitatem) nam unus amoris DEI intensus actus superat omnes actus totius vitæ, remissè vel tepidè peractæ, & unus idemq; actus amoris DEI, par est toti æternitati & societati beatorum obtinendæ. Non requiritur ad multum profectum, multa & longa vita, etiã brevi tempore multùm proficere possumus, si diligenter id curemus. Non multam nec longam vitam, quia tantùm tredecim annos habuit Virgo & Martyr Divinissima Agnes, & tamen quantùm in hoc tempore profecerit, audiamus Divum Ambrosium, quid de illa dicat. *Devotio supra ætatẽ, virtus supra naturam, ut mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum Martyris. Hæc tredecim annorum Martyrium fecisse traditur. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus, hæc stridenti-*

um grav: immob: tractib9 catenarũ nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atq; in ipsis sacrilegis focis, trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusq; ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Novum Martyrij genus! nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ: certare difficilis facilis coronari, magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis &c.

Pari modo non multos in Religione transegit annos, innocentiæ gemma, Regniq; Poloniæ speciale decus Divus Stanislaus Kostka, qui fortè nec annum probationis totaliter finivit, & tamen in tam satis angusta temporis serie, ultra ætaté in virtutibus profecit ut patet ex Decreto Canonizationis lato à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo ubi sic inquit: *In qua* (id est Societate JESU) *Beatus Iuvenis consummatus in brevi explevit tempora multa:* hoc est tantùm profecit, quantùm proficeret, si multo

tem-

tempore viveret. Reſpiciamus præterea (& quidem ante omnes) ſtrenuum Præcurſorem Domini Joannem Baptiſtam, hic in parvo tempore magnos virtutum & perfectionis protulit fructus, nam ut ſcribit Franciſcus de Mayronis, quòd quinto ætatis anno in ſolitudinem abîerit. Jacobus autem Valentinus Epiſcopus Chriſtopolytanus, quòd tertio ætatis anno ingreſſus fuerit deſertum, ad agendam pænitentiam, ſed non quærendo alia exempla, manifeſtum id habemus in Principibus Eccleſiæ Apoſtolis ut jam ſuperius deductum eſt; & hic iterum addo; utiq; Paulus Apoſtolus Amileto mittens Epheſum, non adeo longo tempore commoratus eſt ibidem, quia tantùm per triennium juxta illud: (a) *Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die, non ceſſavi cum lachrymis, monens unum quemq; veſtrum.* Si autem ſpectemus profectum illius, tantus fuit ut nihil defuerit, quod ampliùs ibi de fidei & doctrinæ veritate communicare deberet, ut ipſe teſtatur dicẽs: (b) *Omnia*

(a) *Actor*: C: 20. V. 31. (b) *Ibid*: V. 35.

ostendi vobis. O felix! ô fæcundus! ô uberrimus profectus Apostolicus! per triennium non nisi in dicto loco suam stationem fixerat, & illi populo omnia sufficienter ostendit, quæ spectabant ad debitum honorem DEO reddendum, & ad salutem animarum: *Omnia ostendi vobis.* Non alium in se cæteri Apostoli demonstrârunt profectum, sed ubicunq; se converterunt, in omni loco etiam brevi tempore uberrimos virtutum germinârunt fructus. Qui igitur Apostolicum profitemur Institutum, imitemur obnixè in dicta ubertate profectus Sanctos Apostolos, sequamur vestigia eorum, ut assequamur & præmia.

§ Secundus.

In quo proponitur secunda qualitas profectus Apostolici.

SEcunda qualitas seu proprietas profectus Apostolici est hæc, quòd profectus Apostolicus fuerit continuus, indefessus, & quotidianus. Apostoli enim (ut jam supra demonstratum est) continuò

tinuò docebant Gentes, sinè intermissione instruebant populum, erudiebant barbaras nationes in fide, in cognitione DEI, & JESU CHRISTI: docere autem, instruere, & erudire continuò, quid est aliud, nisi continuò proficere? siquidem ergo Apostoli continuò docebant, eò ipsò continuò proficiebant: adeoq; profectus eorum erat continuus, & quotidianus. Hoc ipsum Paulus Apostolus innuit, quando enumerando suas persecutiones, & tribulationes quas passus est pro Nomine CHRISTI, tandem subjungit: *Præter illa* (a) *quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo Ecclesiarum:* acsi diceret, multa sunt quæ passus sum, & ulteriùs sustinere paratus sum, sed etiam præter hæc omnia, debeo per quotidiana instantia, habere curam & sollicitudinem omnium Ecclesiarum: ubi hoc benè notandum est, quòd non dixerit Apostolus, se quotidie habere sollicitudiné omnium Ecclesiarum, sed potiùs dixit: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*; ut ostenderet quòd non tan-

(a) 2. *ad Corinth*: *C.* 11.

tantùm quotidie, hoc est singulis diebus, vel horis; sed etiam singulis instantibus habuerit, sollicitudinem omnium Ecclesiarum. Habere autem singulis instantibus sollicitudinem omnium Ecclesiarum, est in re singulis instantibus proficere, cum omnis sollicitudo circa Ecclesiam vel bonum commune, in re sit profectus simpliciter talis, ut nemini dubium.

Deinde qui non habet requiem à quotidianis laboribus pro honore DEI, ille continuò proficit; videamus Apostolos, hi nunquam habuerunt requiem à quotidianis laboribus circa honorem DEI, & salutem animarum, ut videre est in vita & Actis Apostolorum, & de se ipso humiliter & piè testatur Paulus Apostolus dicens: *Cùm venissem autem Troadem (a) propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem Spiritui meo.* Item in alio loco: *& cum venissemus (b) in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Ecce ibi dixit Apostolus. *Non habui*

(a) *2. ad Corinth: C. 2. V. 12.*
(b) *Ibidem C. 7. V. 5.*

habui requiem Spiritui meo, hic autem dicit: *nullam habuit requiem caro nostra*: ut discamus quòd Apostolus, non tantùm solo spiritu, non tantùm sola carne, sed utroque simul proficere studuerit, proficere inquam non quomodocunq; sed absq; requ: sine intermis: sine ulla interruptione: *nullam requiem habuit caro nostra*. O verè nunquam otiabantur Apostoli! nunquam remittebant de conatu proficiendi, nullam occasionem, modum, & circumstantiam prætteriêrunt, tendendi ad perfectionem, verùm continuò augebantur in perfectione, crescebant in Spiritu, & sine omni quietis intervallo altiùs & altius nitebantur.

Quousq; Apostoli non inchoârunt suæ vocationis exercere officium & finem, concedebant sibi forte (licèt rarò) aliquam quietem, dormiebant aliquantulùm, unde notati & increpati sunt à CHRISTO de dormiendo. *Simon dormis* (a) *non potuisti unâ horâ vigilare mecum:* cæterum postquam aggressi sunt negotium & obligationem professionis suæ, nunquam ampliùs de tali dormitio-

(a) *Mar: C, 14. V. 37.*

tione, aut quiete notati sunt, de qua argui, increpari, vel corrigi potuissent. Deserebat quotidie sol Cælos, illi non deserebant Cathedras, Ecclesias, vel alia quæcunq; loca in quibus docebant, occidebat sol de die in diem illi nunquam occidere, nunquam deficere, sed continuo lucere consveverunt; dum nox veniebat omnes aliæ creaturæ etiam irrationales ad quietem properabant, fessa labore vel alia ratione membra reficiebant: Apostoli autem non quærebant ista commoda, sed nullam requiem spiritui & carni suæ indulgebant, & sic eò ipsò indesinenter proficiebant.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ si vis, vel ex professione obligaris Apostolos imitari, exemplô ipsorum debes proficere continuò, quotidiè, semper, & in omni instanti. Qui enim vult ad summitatem alicujus montis vel cacuminis Cælo proximi pervenire, necesse est ut illuc continuò tendat, quotidiè serpat, & omni instanti gradiatur; perfectio ad quam vir Apostolicus & omnis Religiosus ascendere tenetur, est

mons valde excelsus, Alpibus sublimior, Olympô altior, Caucasô excelsior, Carpatô eminentior, ut ergo ad summitatem & verticem hujus montis ascendat, continuô illuc tendere, quotidie progredi, & omni instanti paulatim procedere debet, ut tandem ad summum deveniat. Si Princeps astrorum sol unâ horá subsisteret, cursumq; suum cohiberet, sinè dubio aliquot millia milliarium intermitteret: vir Religiosus unâ etiam horâ multùm proficere debet, unoque instanti totam æternitatem beatam lucrari potest; quare si unâ horâ, multò magis una diè, vel mense proficere desistat, multa millia, imò milliones meritorũ ac ipsam æternitatẽ beatã perdit: quælibet enim hora (multò magis dies vel mensis) est capax temporis ad hoc, ut in illo proficiamus mille aut saltim centum actibus virtutum, quare si dictam horam, diem, vel mensẽ intermittamus, negligamus, vel postponamus, magnam nobis ipsis jacturam inferimus, nempè privamus nos ipsos centum aut mille vel pluribus acti-

actibus virtutum, consequenter & meritorum. Propter hoc meritò nos monet scriptura dicens: *Particula* (a) *bonæ diei non te prætereat;* hoc est etiam minimam particulam diei non prætermittas quâ profectum aliquem in virtutibus non facias, curre semper, tendas quotidie, propera omni instanti, ut tandem aliquando ad præfixum terminum pervenias. si ergo unicam etiam particulam diei, sic scriptura jubet appretiari, quantò magis plures? si unicam particulam præterire denegat, quantò magis longum tempus?

§ Tertius

In quo proponitur tertia qualitas profectûs Apostolici.

TErtia qualitas seu proprietas profectus Apostolici est hæc: quòd profectus Apostolicus fuerit fervidus, ardens, & purus ab omni tepiditate & langvore. Fervor enim spiritûs & profectûs nihil aliud est, nisi (ut egregiè docet Gaspar

(a) *Ecclesiastici* 14. *V.* 14.

Druzbicius (a) vehemens quædam, & perpetua voluntas DEO placendi, DEO serviendi, DEO per omnia satisfaciendi; quâ homo ad mentem vult vivere Creatoris, & esse secundùm cor ipsius ita, ut nunquam dicat: *satis est, sufficit mihi, jam perfectus sum:* sed potiùs oblitus eorum quæ retro sunt, ad ulteriora se extendit, & ad destinatum persequitur; ad bravium scilicet supernæ vocationis. Itaq; ille fervens Spiritus vocatur, qui nunquam arbitratur se comprehendisse; qui & si sibi nihil conscius sit, tamen non in hoc se justificatum agnoscit, qui non attendit quid caro possit, sed quid spiritus velit, qui scit quòd caro non possit quidquam, spiritus autem sit qui vivificat, qui novit quòd quantò hîc ardentiùs diligemus, tantò postea sereniùs videbimus, qui semper addit, semper proficit, qui sibi displicet in eo quod est, ut pervenire possit ad id, quod non est. Cui pro nihilo est CHRISTUM sequi, nisi cum contingat consequi, qui scit unum actum intensum, meliorem esse remissis mille:

Libro de Sublimitate perfectionis religiosæ qui

qui ſcit ad fervoris menſuram, dari gratiam & gloriam fervori, qui intelligit eſse ſemitam juſtorum ſimilem huic, quæ non ſtat ſed procedit & creſcit, quaſi lux ſplendens ad meridiem, uſquè ad perfectum diem Quare fervor ſpiritus, eſt quædam fames ac ſitis Dei, quâ homo Devm Deique beneplacitum ſitit & eſurit, eſt quoddam tædium, quô hominem tædet vivere, ſi Deo ampliùs non poſſit ſervire, eſt diſceſsus â ſe ipſo, quô homo à ſe ſuisque commodis ac honoribus planè recedit, ad Deum verò plenè convertitur, Eſt perpetua quædam pugna, quâ caro ſubijcitur animæ, & anima Deo. Eſt avaritia ſancta, quæ ſemper clamat: *affer, affer*, occaſiones nempè bene merendi, Deo placendi, ſalutem ſuam & proximi quærendi. Eſt quædam pia deceptio, quâ homo carnem ſuam decipit, promittens illi bona in futurum, nec tamen unquam concedens; ſemper autem ſpiritualibus inhians lucris, quantumvis illa cum dolore, cum dedecore, cum egeſtate corporis eveniant. Eſt perennis

nis inquietudo & sollicitudo, quâ anima semper sollicita est, quomodò placeat Deo? nunquam quiescit, sed semper sive comedat, sive bibat, sive quid aliud faciat, omnia ad majorem Dei gloriam facit. Est negotiatio, quâ homo pro temporalibus æterna, pro terrenis Cælestia, pro carnalibus spiritualia lucra conquirit: ijs inhiat, de ijs augendis noctu diuque cogitat.

Et talis tantusque fervor spiritûs erat in profectu Apostolico, & in quotidiana eorum tendentia ad perfectionem. In Apostolis enim aderat perpetua voluntas Deo placendi, serviendi, Deoq; per omnia satisfaciendi ita, ut continuò vellent vivere ad mentem Creatoris sui & nunquam dicerent satis est, sufficit nobis, jam perfecti sumus; sed potiùs obliti eorum quæ retro erant, ad ulteriora se extendebant, & ad destinatum bravium supernæ vocationis anhelabant, Nunquam arbitrati sunt se comprehendisse, imò etiamsi nullius peccati sibi conscij erant, tamen non in hoc se justificatos agnoscebant, un-

de

de inquit Paulus Apostolus (a) *Non quód jam acceperim, aut jam perfectus sim, sequor autem, si quomodò comprehendam, in quo & comprehensus sum à CHRISTO IESV. Fratres ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in CHRISTO IESV* & 1. Corinthios, 4. inquit. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quod autem de se ipso testatur humiliter, & piè confitetur Paulus, hoc de votè credendum est de omnibus Apostolis. Paulus enim ut potè posterior cæteris, accepit normam & Regulam vivendi à prioribus Apostolis, adeoq; qualem ab ipsis hauserat vitæ regulam, talem omnibus persvadebat, & in se ipso exequebatur Non attendebant unquam Apostoli quid hæc mortalis caro possit, sed quid Spiritus DEI velit, sciebant optimè quòd caro ad salutem animæ nihil prosit, sed solus spiritus DEI est talis qui vivificat: noverant

(a) *ad Philip:* C. 3.

item quòd quantò ardentiùs hîc diligerent DEUM, eò magis & clariùs visuri essent eundem facie ad faciem.

Hâc itaq; notitiâ & fide accensi semper addebant semper proficiebant, semper sibi displicebant in eo quod erant, ut pervenire possint ad id, quod non erant. Pro nihilo putabant CHRISTUM sequi, nisi eis contigisset consequi &c. &c. Unde ulteriùs habebant quandam famem, & sitim DEI intolerabilem, quâ semper voluntatem, beneplacitum ac omnem nutum, inspirationem, ac illustrationem Divinam implere sitiebant. Tædiò nimiò implebantur, si DEO ampliùs & ampliùs servire impediebantur; deliquium quoddam amoris, mortem sui ipsorum, & discessum à se ipsis sentiebant, & sic obliti sui ipsorum ab omni voluptate, commodo, honore, & majestate mundi recesserunt, ad DEUM verò ipsum ita plenè conversi sunt, ut ne in puncto minimo mundū retrospicerent. Habebant præterea intra se perpetuam pugnam, quâ carnem rebellem subijciebant animæ, & animam

mam DEO, repleti erant avaritiâ, Sanctâ, quâ semper occasiones bene merendi, & tempus Divinæ Majestati placendi, & modum comparandæ salutis animarum, & suæ obnixè quærebant. Reperiebatur similiter in ijsdem Apostolis pià quædam sui ipsorum deceptio, quâ carnem suam decipiebant, promittentes illi postmodum has & illas commoditates, cæterum tamen nunquam quidquam illarum concedentes, sed semper spiritualibus lucris, & continuo profectui inhiantes: licet hoc totum nonnisi cúm sua exinanitione, contemptu, irrisione, & summa persecutione vix poterant acquirere. Quia autem inhiabant continuò lucris Spiritualibus & profectui, quotidie erant inquieti & solliciti, quomodo posseat placere DEO, nunquam quiescere poterant, satiari nunquam, sed semper quid quid agebant, sive currebant, sive sedebant, sive comedebant, sive bibebant, sive loquebantur, sive tacebant, omnia ad Majorem DEI Gloriam faciebant. Unde & Paulus Apostolus, qualem modum & fervo-

fervorem in profectu servabat, talem commendat & Côrinthijs, dùm scribens ad illos, inquit. *Sive ergo manducatis*, (a) *sive bibitis*, *sive aliud quid facitis*, *omnia in gloriam DEI facite*; & Collossensibus hoc ipsũ injungit. *Omne quodcunque facitis* (a) *in verbo*, *aut in opere*, *omnia in Nomine Domini IESV CHRISTI*. Tandem Apostoli diligentissimè exercebant quandam insolitam, & nulli antea visam vel usitatam negotiationem, quâ pro bonis transitorijs perpetua, pro temporalibus æterna, pro carnalibus spiritualia lucra avidissimè, studiosissimè, & sollicitissimè conquirebant, ipsis ampliús & ampliús conquirendis ineffabiliter inhiabant, de illisque augendis, cumulandis, & aggregandis, non tantùm die noctequè, sed etiam quâlibet horâ, instanti, momentô cogitabant.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ si vis, vel ex professione obligaris Apostolos, imitari, debes proficere fervidè, debes tendere ad perfectionem

(a) 1. *ad Corinth.* C. 10. V. 31.

(a) *ad Collos*: C. 3. V. 17.

ardenter & avide, ita, ſicut proficiebant & tendebant Apoſtoli. Non ille accipit braviū, qui currit ad metā; ſed ille qui currit in fervore Spiritus, & in ardore mentis heroicæ. Manent inglorij vel ad propoſitū rarò perveniūt terminū, qui tendunt quidem quò debent, ſed tepidè, languidè, & ſomnolentè. Qui vult ad ſummum perfectionis devenire apicem, fervidè currat, avidè properet, ardenter tendat. Fervor profectûs collocat animam ſupra Cælos & in conſpectum ipſius DEI transfert, nullam frigoris aſperitatem ſentit, & quamvis media hyeme ſub nudo cælo maneat, tamen præ calore Spiritûs langvet, & ferè ſui ipſius obliviſcitur. Qui fervide proficere deſiderat, vel jam actu proficit, nullum onus etiam maximum ſibi pro onere computat, ſed omnia cum ſumma facilitate & ſvavitate ſuſtinet; *amat & fervet; calcat omnia quæ delectant, & tranſit: venit ad aſpera, horrenda, trucuienta, minantia, calcat, frangit, & tranſit. ô amare! ô ire! ô ſibi perire! ô ad DEUM pervenire* deſiderat! Quando itaque

que anima DEO devota, tantum fervorem profectûs & spiritûs in virtutibus acquirendis exercet, valde facillimè meridianam perfectionis augem consequitur. Pervenissentne tam citò & gloriosé Apostoli ad tantam perfectionem, & in Orbe toto æstimationem? si non fervidè cucurrissent ad comprehendendum bravium? convertissentne in tam parvo tempore, tot Gentes, Regna, & Provincias. si tepidè & negligenter horum omnium salutem curâssent? minimè: sæculorum erat istud negotium,, non aliquot annorum, si illi tractando, somnolenta tepiditas adjuncta fuisset.

Exulavit procul ab Apostolis tepor spiritus, langvor profectûs, & omnis somnolentiæ vestigium, & sic etiam in sua totiusque Orbis salute tractanda, ita profecerunt, ut hoc non nisi admirari, non eloqui sufficienter valeamus. Quô enim fervidius desiderat proficere homo, eò DEUS intensiores ipsi dat gratias, frequentiòres instinctus, ardentiores inspirationes, & clariores illustra

tiones, per quod brevi evenire solet, ut etiam imperfectissimi & defectuosissimi evadant perfectissimi & integerrimi; à qua perfectione sublimi & integritate profunda, ne iterum deficiant, DEus optimus Maximus in præmium fervoris, quô ipsi servierunt servireq; inceperunt, ipsis vel continua providet auxilia, vel in sua confirmat gratia, ut multos Sanctos viros confirmavit. Si autem privilegium Confirmationis in gratia non largitur, tamen innumera alia beneficia confert, & sic eosdem in Paterno benevolentiæ sinu fovet, ut semper ulteriùs & ulteriùs in fervore proficiendi augeantur. Sicut Dux exercituum, quando videt fervidum ad bella militem, vellet ipsi omnia cogitabilia præliandi instrumenta administrare, ut ille suum fervorem perficiat, & tandem hostem gloriosè vincat; ita Dominus exercituum DEus quando advertit hanc & illam animam in profectu religioso ferventem, vellet ei libentissimè omnia media suggerere, quibus inchoatum fervorem continuet,

præ-

prælia cum tentationibus instituat, & tandem cum salute sua, & honore DEI triumphet. Si autem homo recedat à fervore Spiritûs in proficiendo, & odiosam DEO tepiditatem induat, huic DEUS numerum auxiliorum suorum paulatim diminuit, & tandem à facie sua proijcere incipit; ut ex Sacræ Scripturæ verbis apertè constat, ubi DEUS alloquendo hominem tepidum inquit: *Utinam* (a) *frigidus esses, aut calidus sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Abbatem Antonium interrogaverunt quidam fratres: volumus à te audire verbum; quomodo salvari possimus? Tunc ait senex; Eccè Scripturas audistis, sufficiat vobis. Qui (b) dixerunt, & à te volumus audire verbum; respondit eis senex; audistis Dominum dicentem si quis te percusserit in sinistram maxillam, præbe illi & alteram. Dicunt ei: hoc implere non possumus? Dicit eis: si ergo alteram præbere non potestis: saltim in unâ perculsi ferte

(a) *Apocal: C. 3. V. 16.*
(a) *In Vias SS. PP. Parte 2da de Conver: SS. pag. 209.*

patienter. Responderunt ei, nec hoc possumus? Dicit eis: si nec hoc potestis, vultisne percutere magis quàm percuti? dicunt ei: nec hoc volumus. Tunc Antonius respondit eis: si nec hoc, nec illud potestis, quid faciam vobis? Et hoc est tepidorum indicium & natura. quærunt à Magistris verbum salutis interrogant quomodò salvari possint? & tamen postquam edocti fuerint, doctrinam acceptam implere factis nolunt: si vocantur ad sublimia & heroica, putant sibi illa esse impossibilia; si invitentur ad faciliora, pariter & illa censent esse intolerabilia: & sic neque hæc, neque illa volunt, sed in tepiditate sua ita sordescunt, ut Superiores plerumque nesciant, quid cum ipsis facere debeant: dæmones autem facilius ad ipsos accedunt & præoccupant, juxta sensum Abbatis Dimerij dicentis: *Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant,* (a) *si verò tepida fuerit insidunt in eam, & faciunt vermes: ita & Monachum succensum igne Divini Spi-*

(a) *In Vitis. SS. PP. Parte 4ta. libro Exhort. p. 229.*

ritus, dæmones fugiunt; tepidum verò illudunt & insequuntur. Accedit & consonat huic doctrinæ Tho: à Kẽpis dicens: (a) *Religiosus fervidus omnia bene portat & capit quæ illi jubentur: Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam: quia interiori consolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur, Religiosus extra disciplinam vivens gravi patet ruinæ. Qui laxiora quærit & remissiora, semper in angustijs erit; quia unum aut reliquum sibi displicebit.*

Quoniam autem multi hôc vitiô laborant, tamen sæpissimè id non advertunt; ideo hic sequenti Paragrapho, annecto signa, ex quibus te cognoscere possis, utrum sis tepidus in proficiendo an non?

§ 4tus.

In quo proponuntur signa tepiditatis tepidique profectûs.

SIgna tepiditatis tepidique profectus juxta Salmeronem sunt, detrahere vocationi, in quam quis vocatus est: cũ

(a) *libr. 1. de Imit. c. 25.*

justus se ipsum, non autem statum accusare soleat: loqui libenter de CHRISTI Cruce, & Martyrum tormentis; & nihil velle pati. Ore invocare Spiritum Sanctum, imò hymnis Divinisquè Officijs, & obicem illi ponere: Frequenter confiteri, neque unquam de quibus corrigitur, emendari: assiduè Communionem Eucharistiæ suscipere, & cor conjunctum cum DEO nunquam habere, DEI verbum frequenter audire, factis autem, quod audit nequaquam exprimere: Peccata leviora ex quibus gradus fit ad majora & graviora, non magni facere; cum scriptum sit, *Qui minima negligit, paulatim defluet.* Parem se alijs in Sanctitatè facere, aut etiam præferre, ad aliorum vel minimos defectus, habere oculos lynceos, ad proprios autem vel gravissimos lippos cæcosque. Aliorum laudibus intus torqueri, ad proprias verò exultare. Isti (nempè tepidi) totius mundi judices fiunt & Censores, præterquam sui ipsorum.

Iam autem juxta Gasparum Druzbi-

zbicium, (a) signa tepiditatis sunt septem 1mum est raró orare & cum tædio, inconstanter, fastidiosè. 2dum rara & perfunctoria Examinum Conscientiæ observatio. 3tium ex usu & consvetudine omnia facere, hoc est: quia ita communis ordo & consvetudo exigit: solito tempore orare, laborare, confiteri, sacris operari &c. 4tum est levis peccatorum venialium æstimatio: 5tum tepiditatis signum est aversus à Superioribus animus, unde idem Author testatur, nunquam se vidisse spiritualem hominem ferventem, qui non simul Spiritualibus quibuscunque esset addictissimus, disciplinæque amantissimus. E contra omnes quos videre ipsi licuit à Superioribus aversos, & quoquo nomine alienatos, semper cognovit in spiritu tepidos extitisse 6tum teporis signum, in oculis aliorum præcipuè Prælatorum compositum, modestum, accuratum, ferventem esse: privatim verò ac vidente nemine conscioque, vel certe conscio suo compare, æquali negligentem, dissolutum, laxum ap-

In Libr. de Subl. Perfect. relig. pare-

parere. *7mum* ſignum tepiditatis, ea, quæ ex Inſtituto ac Regula præſcribuntur negligenter obire, ac exequi; quæ verò proprij capitis devotio præſcripſit, graviter exacteque agere, nec ſine ſcrupulo negligere; illaque potiùs quàm iſta omittere. Qui ergo ex vi & natura votorum ſubſtantialium, Religionis, teneris proficere fervide in vita regulari, inveſtiga diligenter ſi in te aliquod ex allatis ſignum tepiditatis non inveniatur.

CAPVT III.

In quo proponitur exemplar mediorum conducentium ad finem vocationis Apoſtolicæ in praxi exercendum.

QVi alicui ſvadet finem, congruum eſt ut porrigat & media ad eundẽ finem quia igitur in præcedenti capite, ſvaſimus finem Vocationis Apoſtolicæ exercitiumque illius, ideò hîc dabimus media conducentia, ad eundem finem. Quoniam autem ſolùm de duobus finibus

nibus Vocationis Apostolicæ tractavimus, ideò etiam nonnisi dabimus media ad duos prædictos fines conducentia: Proinde Caput præsens in tria Puncta dividemus, in primo Puncto dabimus media conducentia ad finem secundarium vocationis Apostolicæ, in secundo dabimus media conducentia ad finem tertium vocationis Apostolicæ. in. 3tio dabimus gradus & signa profectûs in communi. Proinde sit.

PVNCTVM I.

In quo proponitur exemplar mediorũ conducentium, ad secundarium finem vocationis Apostolicæ in praxi exercendum, proprium Ordini Apostolico, Canonicorum Regularium Custodũ Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri; & discriminativum ejusdem Ordinis ab alijs sacris Religiosis Ordinibus.

SEcundus finis vocationis Apostolicæ, est testari Resurrectionem CHRISTI Domi-

Domini, juxta illud Actorum cap. 1mo *Et eritis mihi testes in Ierusalem:* hic finis est secundarius respectu Vocationis Apostolicæ, est autem primarius respectu Ordinis Canonicorum Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri, & discriminativus eorum ab alijs Religionibus. Ad prædictum ergo finem in praxi exercendum, danda sunt aliqua media seu modi, quæ media seu modos facile dabimus, si primo videbimus qualiter Apostoli, in praxi testabantur Resurrectionem Dominicã. 2do. si videbimus, & diligenter investigabimus, qualiter illi Sancti Patres Antecessores Nostri hujus Religionis Cultores, Apostolorum Successores, eandem ipsam Resurrectionem Dominicam testati fuerint: cum enim semel ab initio promisi pio Lectori, proponere Normam seu exemplar Vitæ Apostolicæ, & eum ad hanc vitam Apostolicam invitare, ita hic in testanda Resurrectione Dominica, non alium modum servare volo, nisi Apostolicum, ut pius Lector hæc legendo & imitando,

do, evadat integrè Vir Apostolicus. Hoc autem ut præstemus præsens Punctum in tres Paragraphos partiemur. In primo dabimus media seu modos quibus Apostoli testati sunt Resurrectionem Dominicam, in 2do ostendetur quomodo immediati successores Apostolorum, Canonici Regulares Ecclesiæ Hierosolymitanæ, testati fuerint eandem Resurrectionem Dominicam. In 3tio ostendetur obiter, quòd Canonici Ordinis nostri rectè vocentur Custodes Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri, licet penes illud non resideant personaliter.

§ Primus.

In quo proponitur Exemplar mediorum seu modorum, qualiter Apostoli testati sunt Resurrectionem Dominicã, simulque ostenditur, qualiter secundarius Vocationis Apostolicæ finis, sit in praxi exercendus.

MOdi quibus Apostoli secundarium Vocationis suæ finem in praxi exerce-

ercebant, seu quibus testati sunt Resurrectionem Dominicam possunt cogitari multi. Imo ergo Apostoli testati sunt Resurrectionem Dominicam *publicè* in conspectu Imperatorum, Regum, Principum, Pharisæorum, Doctorum, Scribarum, & in conspectu totius Orbis. Quando major potuit esse publicitas in Ierusalem quàm tunc, dum super Apostolos descendit Spiritus Sanctus in lingvis igneis: & quando repleti sunt omnes Spiritu Sancto? nam eo tempore (ut ait scriptura) *Erant in Ierusalem* (a) *habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub Cælo est.*

Hanc ita amplam, universalem, & generalem ex omni natione publicitatem, & multitudinem, non erubuerunt Apostoli sed præsente illo totius Orbis congregato populo, disertissimè locuti & testati sunt Resurrectionem Dominicam, ut videre & legere est Actor: cap. 2do: *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam & locutus est eis: Viri Iudæi & qui habitatis* Ieru-

(a) *Actor.* C. 2. V. 5.

Ierusalem universi, hoc vobis n tum sit, & auribus percipite verba mea Non enim sicut vos existimatis &c. &c.
Et inferiùs idem testimonium continuat loco citato Sanctus Petrus, dum inquit: *viri Israelitæ audite verba hæc: IESVM Nazarenum virum approbatum à DEO in vobis, virtutibus & prodigijs, & signis quæ fecit DEVS per illum in medio vestri, sicut scitis: hunc definitô consiliô & præscientiâ DEI traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis, quem DEVS suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum; providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, in super & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animã meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est,*

sepul

& sepultus est: & Sepulchrum ejus est apud nos, usque in hodiernum diem. Prophèta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando juràsset illi DEUS de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: providens locutus est de Resurrectione CHRISTI, quia neque derelictus est in inferno; neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc IESUM resuscitavit DEUS, cujus omnes nos testes sumus. Dextera igitur DEI exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hoc donum quod vos videtis & auditis Nòn enim David ascendit in Cælum: dicit autem ipse, Dixit Dominus Domino meò, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit DEUS, hunc IESUM quem vos crucifixistis. Hactenus, Sanctus Petrus, suo & aliorum Apostolorum Nomine loquens: ex quibus omnibus habes evidens documentum, quàm publicè dederint Apostoli testimonium Resurrectionis CHRISTI.

2do Apli testati sunt Resurrectionem

nem Dominicam fortiter, constanter dexterrimè, & imperterritè. Fortitudo hæc, dexteritas, & imperterrita generositas Apostolica, in testanda Resurrectione Dominica, manifestè patet ex Actor: Cap: 4to. ubi cum Apli loquerentur ad populum, *supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus templi, & Sadducæi dolentes quòd docerent populum & annuntiarent in IESVM Resurrectionem ex mortuis; & iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in Custodiám in crastinum, erat autem jam vespera. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt & factus est numerus eorum quinque millia. Factum est autem in crastinum ut congregarentur Principes eorum, & Seniores & Scribæ in Ierusalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Et statuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Stante hoc Senatu Sacerdotij & populi Iudaici quid putas quomodo se se illis exhibuerunt Apostoli? exhorrueruntne saltĩ ali-

lúm, tanta & tã fortéPrincipũ, Scribarũ, & Seniorũ unanimẽ conſpirationẽ? minimè: ſed forti, dexterrimò, & imperterritô animô, coram his omnibus testati ſunt Reſurrectionem Dominicã ut ait Scriptura. *Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos, Principes populi & Seniores audite: Si nos hodie dijudicamus in benefacto hominis infirmi, in quo iste ſalvus factus eſt notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in Nomine Domini Noſtri IESU Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem DEUS ſuscitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

3tio Apoſtoli teſtati ſunt Reſurrectionem Dominicam liberrimè, hoc eſt in libertate Spiritus, conſcientiæ, & animi heroici ad omnia pericula, & diſcrimina pro CHRISTO ſubeunda paratiſſimi. Taliter teſtatus eſt Reſurrectionem Dominicam Princeps Apoſtolo-

stolorum Petrus (ut immediatè deduximus,) Doctor Gentium Paulus, S. Andreas, Philippus, Matthæus, & reliqui Apostoli, specialiter etiam Sanctus Iacobus Minor, cognomentô Iustus, Frater Domini, Patriarcha Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri: Ad hunc Sanctum Apostolum & Patriarcham Ordinis Nostri, *accesserunt* (a) *olim Principes Iudæorū, Scribæ, & Pharisæi rogantes ut ijs, qui diè Paschæ Hierosolymam convenerunt, persuaderet de IESV, ne de ipso fallantur. Tibi enim nos (inquiunt) credimus, & tibi ferimus testimonium, & universus populus, quod sis justus & Personam non accipias. Ascende ergo templi pinnaculum ut cernaris à toto populo, & verba tua audiantur, nam propter Pascha convenerunt omnes tribus cum Gentibus. Statuerunt ergo Iacobum in altissimo templi loco, & magna voce dixerunt, Iuste debemus tibi omnes credere. Quoniàm igitur populus errat post IESVM, quem omnes scimus passum esse mortem sub Pontio Pilato nobis enim*

(a) *Surius in Vita S. Iacobi Apost.*

tia quid tibi videatur de IESV?

Tali verborum astutiâ occupârunt Principes Iudæorum, Scribæ, & Pharisæi Sanctum Apostolum: non enim hoc fine rogabant doctrinam aliquam de IESV, ut ei crederent & eàm amplecterentur, sed potiùs hoc fine, ut caperent occasiones circumveniendi & opprimendi fidelem testem IESU CHRISTI, & gloriosissimæ Resurrectionis ejus. Vidit banc astutiam Sanctus Apostolus, perspexit malitiam eorum & obstinatam duritiam; cæterum eam non extimuit, sed magna libertate præbuit testimonium CHRISTO, & Resurrectioni ejus, ut loquitur Sacra Historia: *Protinus emittens vocem* (a) *Iacobus, animô & lingva liberrimus ait: Quid me rogatis inquit de IESV: ipse sedet in Cælo ad dexteram virtutis Patris sui, venturus posthac in nubibus Cæli, ut judicet Orbem in justitia.* O pulchrum! strenuum! & gloriosum testimonium Resurrectioni Dominicæ exhibitum! votum erat Iudæorum, Scribarum, & Pharisæorum ut Sanctus hic Aposto-

lus

(a) *Surius. in Vita ejusdem S. Iacobi.*

lus supprimeret nomen, famam, virtutem, & potentiam Domini Nostri IESV CHRISTI, ut eum assereret ita mortem passum esse sub Pontio Pilato, ut ampliús non resurgeret, nec viveret; sed *beatus vir* (a) *non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*; enunciavit cum magna libertate, quid ipsi videretur de IESV, apertè pronuntiavit: *ipse sedet in Cælo, ad dexteram virtutis Patris sui. &c.*

4to Apostoli testati sunt Resurrectionem Dominicam, resurrectione vitæ propriæ, conformando suam resurrectionem & vitam Resurrectioni CHRISTI Domini. Testari verò Resurrectionem Dominicam resurrectione vitæ propriæ, est ita resurgere à morte peccati, ut nunquam moriamur finaliter per peccatum, juxta illud Scripturæ: *CHRISTVS resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit DEO.* Can-

(a) *Psal*: 1. *V*. 1.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, si vis Apostolos imitari, illisq; per omnia & in omnibus conformari, debes & tu Resurrectionem Dominicam testari. primò publicè, videlicet non tantum in occultis, abditis, & remotis à conversatione hominum locis, sed etiam in conspectu Regum, Principum, Ducum, & quarumcunque Orbis Potestatum. Captivitas CHRISTI Domini in horto Gethsemani facta est publicè, statuitio coram Principibus Sacerdotum Scribis, Pharisæis, facta est publicè, flagellatio, coronatio, examen de vita ipsius, judicium & sententia mortis contra CHRISTUM lata, & promulgata est; publicè tandem executio sententiæ mortis, ac sepultura ipsa facta est publicè; & quare testimonium Resurrectionis Dominicæ non debet fieri publicè? cum Resurrectio prædicta facta sit ad tollendum de gentibus scandalum, & confirmandos in fide Discipulos CHRISTI, & universos totius Orbis fideles. Restitutio famæ publicè ablatæ, juxta jura naturæ, & leges Regno-

gnorum debet fieri publicè: perversa Sinagoga Iudæorum eripuit publicè famam CHRISTO Domino, & eum tanquam infamem inter latrones computavit; testimonium de Resurrectione Dominica præstandû, est restitutio ejusdem famæ, proinde ut illam ad æqualitatem vel saltem de congruo compensemus, necessarium est, ut eam testemur, publicè. Gloriabatur olim Propheta, quòd de testimonijs Divinis in aperto loqueretur juxta illud: *Loquebar* (a) *de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar*: ad hanc perfectionem & dexteritatem debet ascendere vir Apostolicus in testanda Resurrectione Dominica, ut sine hæsitatione gloriari in Domino possit: *Loquebar de testimonijs tuis & resurrectione tua in conspectu Regum, & non confundebar.*

2do debes eandem Resurrectionem Dominicam testari constanter, fortiter, & imperterritè: non decet enim illum militem esse instabilem, debilem, & timidum, cujus supremus Dux,

(a) *Psal. 118. V. 46.*

Dux, eſt conſtans, fortis, imperterritus & nulla vi ſuperabilis. Quis eſt conſtantior, fortior, & ad omnia diſcrimina animoſior quàm Dux noſter IESVS CHRISTUS? quomodò igitur ſub tanto Duce & Anteſignano noſtro timebimus aliquos inſultus hoſtium contra nos inſurgentium? verè non eſt timendum, nequè hæſitandum, ſed forti animo etiam ibi Reſurrectio Dominica teſtanda eſt, ubi ea maximè impetitur ab infidelibus.

3tio debes eandem Reſurrectionem Dominicam teſtari liberrimè, abſquè ullo còactionis, compulſionis, & neceſſitatis adminiculo. Sicut in alijs operibus noſtris ita & in teſtanda Reſurrectione Dominica libertas & prompta voluntas ſpectatur: quæ ſi adfuerit meritum & æſtimationem ſuperaddit actionibus noſtris, ſi autem defuerit, extunc omnis ratio meriti & æſtimationis, in opere noſtro reperibilis amittitur.

4to tandem debes teſtari Reſurrectionem Dominicam reſurrectione vi-

tæ propriæ, & hic modus testandæ Resurrectionis Dominicæ est specialissimus, DEO gratissimus, nobis utilissimus, & salutaris. Quare si vis Apostolos imitari, & rem DEO gratam facere, studeas testari Resurrectionem Dominicam, principaliter resurrectione vitæ tuæ à morte spirituali, quòd ut non tantùm affectivè sed etiam effectivè impleas, hoc serva, quod tibi propono: imo intuere teipsum, in quali vitio habituatus jaceas, postquam tale vitium inveneris, ab illo propter amorem & honorem Resurrectionis Dominicæ resurgere statuas, ita ut nunquam per illud moriaris, faciendo hoc ipsum statutum his verbis: *propter amorem & honorem Resurrectionis Dominicæ, volo resurgere ab hoc vel illo peccato, ita ut nunquam moriar per illud: volo inquam sic resurgere eo fine, motivo, & intentione, ut per talem resurrectionem meam, tester veram Resurrectionem Dominicam.* Quod dum facies, implebis finem vocationis tuæ, & hoc magis erit gratum DEO, quàm si longam pe-
regri-

peregrinationem ad Sacrosanctum CHRISTI institueres Sepulchrum; aut Resurrectionem Dominicam prædicares Infidelibus, & de vitæ propriæ resurrectione minus curares. Plura hîc essent dicenda, sed quia ab initio promisi non descendere ad particularia, sed tantùm eorum Normam & exemplar proponere, quæ sunt communia omnibus Religionibus Apostolicis, vel vitam Apostolicam imitantibus, ideo multa ália omitto, & quæ hîc particularia dixi, tanquam intra Parenthesim, & ex studio referendi omnes fines vocationis Apostolicæ, dicta esse volo.

§ Secundus.

In quo proponitur Exemplar, quomodò antiqui patres Ordinis Nostri, Sacrosanctæ & Patriarchalis Ecclesiæ Hierosolymitanæ Canonici, testati fuerint Resurrectionem Dominicam.

Sicut Apostoli, ita & Apostolorum successores Patres Nostri Ecclesiæ Hiero-

Hierosolymitanæ Canonici & Filij, testati sunt Resurrectionem Dominicam multis modis: imo testati sunt Resurrectionem Dominicam eô modò quò illam testatus est Sanctus Jacobus Apostolus, Primus Hierosolymorum Episcopus, Patriarcha Ordinis Nostri. Item testati sunt eam eô modô & zelò, quô & reliqui Apostoli: cum enim immediatè succederent post Apostolos, & doctrinam non ab aliquo alio, sed ab ipsis Apostolis de Resurrectione CHRISTI notam haberent, piè censendum est quòd in hoc puncto secuti & imitati fuerint Apostolos. Cujus ulterior ratio est, quia illa prima nascentis Ecclesiæ germina, recentissimis Apostolorum dogmatibus, tanquam cælestibus pluvijs irrigata, (ordinariè loquendo) non poterant tam citò Spiritum & fervorem Apostolicum in se extinguere & supprimere; cum illis recentissimè staret ante oculos prædicatio, persecutio, flagella, insidiæ, & mors Apostolorum, pro testimonio Resurrectionis Dominicæ exhibita; a-

deoque

deoque vivente in ipsis prædicto Spiritu & fervore Apostolico, omnino tenendum est, quòd in dando Resurrectionis Dominicæ testimonio, usi fuerint modis & dexteritate Apostolica Et certè Sanctus Simeon, secundus Hierosolymorum Episcopus pro fide & Resurrectione CHRISTI quam prædicavit & promulgavit, judicatus est ut in Crucem ageretur. Deindè Sanctus Alexander, itidem Hierosolymorum Episcopus, propter CHRISTUM, ejusq; Resurrectioni datum testimonium, morte in carcere consopitus est. Eadē charismata æmulati sunt cæteri Sacrosanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Filij, primigeniæ Ordinis Nostri plantæ: sed omnes enumerare sicut longum esset, ita & operosum, satis est quòd eorum nomina Scripta sint in cælis, scripta sint & in Ordine nostro, quorum lectione & revolutione, quisque poterit sufficienter accendi, doceri, & promoveri ad exactam vitæ Apostolicæ imitationem.

2do. Antiqui Ordinis Nostri Patres, testa-

testati sunt Resurrectionem Dominicam vigilijs, orationibus canticis, & psalmodijs, meditationibus, alijsque pijs exercitijs; cum enim actualiter penes Sacrosanctum CHRISTI Sepulchrum locati essent, & illum ipsum locum in quo CHRISTUS depositus est & tertia die resurrexit prae oculis haberent, impossibile erat, ut possent aliquando sejungi, totaliter à pia recordatione, cultu, devotione Sancti Sepulchri; eò autem ipso, quia continuò insistebant devotioni, Cultui & memoriæ Sancti Sepulchri, eò inquam ipso fuerunt testes fideles Resurrectionis Dominicæ.

3tio testabantur Resurrectionem Dominicam, publico ritu in Sacrosancta Hierosolymitana Ecclesia fieri solito; nempè quando in Paschali Evangelio dicebatur: *Surrexit non est hîc*: tunc Diaconus qui legebat Evangelium, digitô demonstrabat Dominicam Sepulturam, seu locum in quo Sepultus est Dominus ut supra deduximus ex Iacobo de Vitriaco.

4to Testati sunt Resurrectionem

Do-

Dominicam armis, quia duos Ordines militares, nempè Sancti Ioannis (cujus Ordinis Alumni Hierosolymâ expulsi & in Rhodum Insulam appulsi, appellati sunt Rhodij, deinde Rhodo Insula spoliati & ad Insulam Melitensem venientes ab illa modò vocantur Equites Melitenses) & Sancti Iacobi Compostellani eò fine instituerunt, fundârunt, & investierunt, ut peregrinos ad Sepulchrum CHRISTI, ex devotione venientes protegerent; protectio autem peregrinorum ad CHRISTI Sepulchrum convenientium, eò fine ordinata erat ut hi securiùs vota, devotionemquè suam possint exsolvere, & sic exindè major gloria sepulchri & testimonium Resurrectionis CHRISTI emanaret.

5to antiqui Ordinis Nostri Canonici, testati sunt Resurrectionem Dominicam, publica provisione & collectione sumptuum prò bello Sacro definito, 1mo ad defendendum, 2do ad recipiendum ex manibus Saracenorum & Turcarum, Sacrosanctum CHRISTI Sepulchrum; quando enim capitales

Chri-

Christianitatis hostes, cæperunt invadere Terram Sanctam, & deinde receperunt eandem armis; varia contra eosdem, decreta sunt bella & arma Regum Christianorum; quia verò alendis horum Regum Regnorumque exercitibus, non sufficiebat Terra Sancta nec Ordo Noster, Summi Pontifices injunxerunt Patriarchæ Hierosolymitano & Ordinis Nostri Canonicis, ut illi ad vicinos Reges & Principes se conferrent, ibique stipendia pro bello Sacro explorarent. In hoc negotio, quâm dextrè & quàm fervide gesserint se Ordinis Nostri Canonici, constare potest vel ex ipsa Bulla Clementis IV. Pontificis Maximi, ubi Ordinis Nostri Canonicos appellat Christianitatis Athletas, dum inquit In Bulla quæ incipit: Terra Sancta. *Ad hæc itaque felicius exequenda* (nempè ad defendendam terram Sanctam, & vindicandum de manibus Saracenorum CHRISTI Sepulchrum,) *veros Divinæ fidei ac Culturæ Christianitatis Athletas, Priorem, & Fratres Domûs Dominici Sepulchri Hierosolymitani,*

Ordi-

Ordinis Sancti Augustini, eligimus Procuratores, & Nuncios, ad eleemosinas colligendas, pro sumptibus occurrentibus in tantæ oppressionis articulo.

6to testati sunt Resurrectionem Dominicam institutione, plantatione, & ampliatione Confraternitatis Sacrosancti Sepulchri, nam ubicunque Ordo eorum notabiliter fundatus est, vel ad quodcunque Regnum pro explorando belli Sacri stipendio venerunt, ibi statim Confraternitatem Sanctissimi Sepulchri, Auctoritate Apostolica instituebant, fundabant, & ampliabant.

7mo Testati sunt Resurrectionem Dominicam per hoc, quòd Festum Sanctissimi Sepulchri quolibet mense, speciali officio Divino & Missis celebrabant, Ultimâ autem Dominicâ ante Adventum, sollennissimè Dominicam Sepulchri cum apparatu & norma Paschali absolvebant, quod etiam nunc immutabiliter servatur.

8uo testati sunt Resurrectionem Dominicam, resurrectione vitæ propriæ, conformando suam Resurrectio-

nem

nem Resurrectioni CHRISTI Domini, & Resurrectioni Apostolicæ juxta superius dicta.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, quicunquè hujus Ordinis Canonici, Apostolicum profiteris Institutum, his omnibus modis (excepto bellorum armorumque apparatu,) testari potes in praxi Resurrectionem Dominicam, & teneris; cum hi modi etiam habeantur in praxi ab Ordine nôstro. Quare non esto tardus negligens, & tepidus, in deducendo ad praxim fine vocationis & professionis tuæ, sed omni conatu cures pervenire, ad zelum & fervorem Antecessorum tuorum. Illi fortunæ, honori, & vitæ ipsi non parcebant, ubi dandum erat testimonium Resurrectioni Dominicæ, illi noctes diesque, imò totam vitam ad hoc impendebant, ut quàm exactissimè implerent hunc finem vocationis suæ, tu quoque sequere vestigia Patrum tuorum. Non habes quidem in hoc Collegio, Monasterio, vel Canonia ubi resides, præsens Sepulchrum CHRISTI, idem om-

ninò numericè; quod tui Patres habebant degentes Hierosolymis, tamen habes formam; figuram, & imaginem ipsius; quare saltim repreſentatione hujus imaginis, accende te ipsum ad exequendum officium tuum. Vigiliæ, Orationes, cantus, medicationes, & alia pia officia, quæ Patres Hierosolymis degentes, in honorem Dominicæ Resurrectionis exsolvebant, non requirunt omnino idem Sepulchrum CHRISTI, in quo ipse depositus fuerat; sed optimè etiam in quocunque loco, honori Sanctissimi Sepulchri dedicato, possunt impleri, dummodò in honorem Sanctissimi Sepulchri, & Resurrectionis Dominicæ ordinentur.

Non potes corpore præsens esse Hierosolymis & pio affectu venerari locum illum Sepulturæ Domini, sed illud potes penetrare mente, & sanctis desiderijs; quare mente venerare locum à CHRISTO sanctificatum, & satisfacies fini vocationis tuæ. Statuè te quotidie mente, in prodigioso illo Hierosolymitano sepulchro, videas mente

lo-

locum in quo positus, & expositus pro salute mundi jacebat Dominus, revolve in Spiritu grandem illum lapidem ad ostium monumenti positum, aspice custodiam militum, quam malitia Iudæorum statuerat, quibus in spiritu & imaginatione visis, adora ibi CHRISTUM Resurgentem; gratias age pro tanto beneficio, admirare summam ejus Bonitatem & Omnipotentiam, elicias actus fidei quòd verè in & ex hoc loco resurrexit, redde ibi coram Angelis & hominibus totoque Cælo & terra, testimonium Resurrectioni Dominicæ, & hunc affectum tuum ita grata voluntate suscipiet DEUS, acsi ibi præsens corporaliter esses, & hoc totum faceres. Certè etiam antiqui Ordinis Nostri Patres, non omnes residebant Hierosolymis, penes ipsum & idem numerice Sepulchrum CHRISTI, sed alij in Provincijs Palestinæ, alij in Regnis finitimis & remotioribus locati fuerant & tamen omnes etiam tunc, erant testes & Custodes Sancti Sepulchri, & satisfaciebant officio & fini vocationis suæ;

nimirum statuendo se mente in Sacrosancto Hierosolymitano Sepulchro, & pia vota sua exequendo; pariter ergo & tu quamvis modò non resideas ad ipsum Sepulchrum CHRISTI, tamen potes satisfacere vocationi & fini tuo, si mente & Spiritu devoto incolueris, prædictum Sepulchrum CHRISTI.

Hic modus & praxis testandi Resurrectionem Dominicam, si tibi gravis aut speculativus videtur, præstò tibi superest alius, nimirum plantatio, institutio, & ampliatio Confraternitatis Sacrosancti Sepulchri, hæc enim à Sancta Sede Apostolicâ, ad pias & humiles preces Ordinis Nostri, eô principaliter fine instituta est, ut membris hujus antiquissimæ Confraternitatis testemur Resurrectionem Dominicam, ad ejus devotionem excitemus, & tandem ut doctrinâ & exemplô nostrô, animas fidelium lucremur. Certum est quòd ad quemlibet in particulari virum Religiosum Ordinis Nostri, non pertineat absolutè hæc institutio, fundatio, & ampliatio prædictæ Confraterni-

ternitatis, tamen ubi hæc iam instituta & fundata est, cujuslibet officium est eandem promovere & ampliare, partim cultu publico (cui hoc committitur) partim privatô devotionis zelô, penitus autem illius ampliationem negligere non adeò laudabilè est, maximè ijs qui præsunt & habent Auctoritatem pias & antiquas consvetudines Ordinis Nostri, ad suam orbitam reducendi.

Quod si autem fueris privatus Religiosus, adeoque non possis præfatô immediatè modô, testari Dominicam Resurrectionem, & honorem Sanctissimi Sepulchri promovere, (cum ad hoc requiratur potestas & Auctoritas Iurisdictionis) tunc voluntatem bonam offer DEO, & id facias, quod potes. Observatur hactenus immutabiliter in Ordine Nostro, pia consvetudo, imò lex à Sacrosancta Patriarchali Hierosolymitana Ecclesia accepta, secundúm quam Festum Sanctissimi Sepulchri Dominica Secunda post Pascha celebratur, deinde Commemo-

ratio ejusdem Sepulchri Dominici, quolibet Mense cum Officio Divino speciali & Missis absolvitur, tandem ultimâ Dominicâ ante adventum solennissimè ritu Paschali ejusdem Sepulchri festivitas continuatur, quas omnes festivitates & Commemorátiones ideo antiqui Patres obtinuerunt, à Sede Apostolica, ut per illarum frequentem recursum continuò testemur Resurrectionem Dominicam, & sic finem Vocationis nostræ, ad quem vocati sumus, faciliùs in praxi exerceamus.

Quando igitur aliqua ex prædictis occurrit festivitas, tunc siquidem es privatus Religiosus, consequenter non potes modô supra immediatè expressô testari Resurrectionem Dominicam, ideò eam testare hôc modô: nempè dictas festivitates Sacrosancti Sepulchri speciali cultu, devotione, & fervore spiritûs, celebrare studeas. Abstrahe te ab his & illis negotijs, ad meditandum circa Resurrectionem Dominicam te compone, Confessionem generalem vel etiam particularem,

sed

ſed exactam & non ex conſvetudine abſolve, ad lucrandam indulgentiam plenariam conditiones exequere; deſiderium teſtandi Reſurrectionem Dominicam in te excita, eamque actualiter teſtare per actus fidei, & talem quò ad omnia devotionem habere cures & habeas qualem haberes ſi eſſes corporaliter præſens in ipſo Sacroſancto Hieroſolymitano Sepulchro. Si hodie virtute Divina, conſiſteres præſens in Sacroſancto Hieroſolymitano Sepulchro, ô cum quanto zelo orares! ô cum quanta compunctione defleres peccata tua, & cum quanta veneratione locum illum Sanctum, veſtigijs ipſius CHRISTI Domini nobilitatum aſpiceres? velles totis diebus & noctibus venerationi, devotioni, & cultui inſiſtere velles ibi præ gaudio totus effundi in gratiarum actionem, CHRISTO Domino faciendam, quòd pro ſalute noſtra in dicto loco reponi, & ſepeliri voluerit, & tandem tertia die reſurgere Hoc totum facias, etiam hic ubi modò degis, quando occurit aliqua feſtivi-

ſtivitas Sacroſancti Sepulchri & ſic exe-
queris in praxi finem vocationis tuæ

§ Tertius.

In quo oſtenditur Canonicos Regulares Sacroſancti Hieroſolymitani Sepulchri, CHRISTI Domini recte vocari Cuſtodes ejusdem Sepulchri licet ibidem perſonaliter non reſideant.

OPinantur plerumque nonnulli quòd Ordo noſter eiusque Canonici, nonniſi tam diu potuerint eſſe teſtes Reſurrectionis Dominicæ, & Cuſtodes Hieroſolymitani Sepulchri quam diu reſidebant penes illud Sepulchrum Domini Noſtri IESV Christi, modò autem cum ſint malitiâ & armis Saracenorum à prædicto Sacroſancto Sepulchro remoti, non ſunt ampliús teſtes ejusdem Reſurrectionis Dominicæ, à fortiori non poſſunt appellari Cuſtodes Sepulchri cùm enim penes Sepulchrum non reſideant nec illud modò

dò custodiant, quomodò igitur possunt legitimè vocari Custodes Sepulchri? sed his omnibus non obstantibus concludo, quòd etiamsi Ordinis Nostri Canonici non resideant penes Sacrosanctum Hierosolymitanum Sepulchrũ nec illud personaliter custodiant, tamen sunt testes Resurrectionis Dominicæ, nec cessavit exercitium finis eorũ, & legitimè etiam nunc vocantur & vocari possunt, & debent Custodes Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri. Ratio est quantum ad primum, quòd scilicet Ordinis Nostri Canonici sint adhuc verè testes Resurrectionis Dominicæ, licèt non resideant penes Sacrosanctum Hierosolymitanum Sepulchrum, quia Officium, Professio, obligatio testandi Resurrectionem Dominicam non est alligata uni determinate loco, sed potest imo debet fieri per totum Orbem; nam quando CHRISTUS Dominus mandavit Apostolis, ut post ascensionem suam essent testes Resurrectionis ejus non mandavit ipsis, ut sint tales testes in aliquo uno deter-

minato

minato loco usque in Ierusalem, vel aliqua alia determinata proxima Civitate, sed expresse mandavit ut essent testes in Ierusalem, in omni Iudæa, Samaria, & per totum orbem, juxta illud Scripturæ acto: cap. 1. *Et eritis mihi testes in Ierusalem, in omni Iudæa, Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Proinde licet Canonici Ordinis Nostri non resideant modò, penes Sacrosanctum Hierosolymitanum Sepulchrum, tamen quid obest ut in aliis mundi partibus exequantur finem vocationis suæ, & sint testes Resurrectionis Dominicæ, multis & varijs modis, de quibus infra.

Quantum ad secundum, quod scilicet Ordinis Nostri Canonici licet actu personaliter non resideant penes Sacrosanctum Hierosolymitanum Sepulchrum, tamen rectè, legitimè, possunt & debent vocari Custodes Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri. Ratio est, quia Canonicos Ordinis Nostri esse Custodes Sepulchri, non significat determinatè hoc, ut illi excubent & vigilent

gilent personaliter penes materiale Sepulchrum illud, more excubitorum aliquod Palatium, vel castellum custodientium sed potiùs significat hoc, quòd illi in quocunque loco constituti custodiant integritatem honorem & cultum Sacrosancti Sepulchri: item quòd promoveant, amplient, augeant, & dilatent devotionem Resurrectionis Dominicæ: item quòd parati sint & debeant esse ad defendendum contra infideles Sepulchrum CHRISTI Domini, sive armis, (ut antea defendebant) sive sumptibus pro bello Sacro providendis, (ut antea providebant) sive orationibus, (ut ab initio Instituti sui continuò faciebant) sive denique quacunque alia ratione & modô. Certè etiam nunc, præstant hæc omnia & præstare parati sunt Canonici Ordinis Nostri, licèt personaliter non resideant penes Sacrosanctum Hierosolymitanũ Sepulchrum, quid ergo impedit & obstat, ne rectè & legitimè vocentur Custodes ejusdem Sacrosancti Sepulchri?

Utiq; multos & verè insignes possumus

mus oſtendere Epiſcopatus tales, qui eo modo erepti ſunt Cathol. Eccleſiæ, ſicut Sacroſanctum Hieroſolymitanum Sepulchrum ereptum eſt Ordini noſtro, & tamen Sancta Romana Fccleſia diſtribuit hos Epiſcopatus præditis ſanctitate & ſcientiâ viris illiq; omnes rectè vocantur Epiſcopi, hujus aut illius Diæceſis, licet nec Diæceſim, nec oves, nec Cathedram Epiſcopalem poſſideant; ſic rectè, legitimè poteſt & defacto, vocatur Epiſcopus Paphenſis Heracliensis, Grationopolitanus &c. &c. licèt nullus horũ Epiſcoporũ reſideat unquam penes ſuam Diæceſim aut Cathedrã, vel nunquã fuerit in poſſeſſione ipſius. Imò domeſticum oſtendo exemplum Sereniſſimus Rex Poloniæ recte, legitimè eſt & vocatur Dux Kijoviæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæ, licèt nullum ex his Ducatum poſſideat. Propter paritatem ergo rationis, licet Canonici Ordinis Noſtri non poſſideant modò Sepulchrũ CHRISTI, licet non reſideant perſonaliter penes illud, tamen rectè, legitimè ſunt, & debent vocari

Cu-

Custodes Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri. Ultra dicta accedit etiam hoc: quando Caput alicujus Familiæ, Reipublicæ, Communitatis, meretur sibi per aliquam virtutem, facinus Heroicum, hunc vel illum titulum, hanc vel illam dignitatem, in hoc vel illo Regno, Ducatu, aut Provincia, tunc si Successores casu aliquo hostilitate superveniente pellantur è Regno, Ducatu vel Provincia, si eripiatur ipsis hæreditas nativa vel possessio illius; tamen illi prædicti Successores, legitimè gaudent titulô, dignitate, & prærogativâ illâ, quantâ gaudebant antea: sic vg quando aliquis meretur nobilitatem, simulque accipit bona ad sustendandam ipsam nobilitatem, tunc si legitimi illius successores perdant illa bona per hostilitatem, tamen adhuc sunt & rectè vocantur nobiles in regno Poloniæ, ubi multi primæva sua bona, in quibus & super quæ nobilitati sunt, amiserunt, & tamen modo nobiles vocantur.

Sed præter hoc recentissimum æ-

tate

tate nostra habemus istius discursus exemplum; Iacobus III. Magnæ Britanniæ Rex, defacto expulsus est de Regno Britanniæ quia tamen Caput illius, à quo ille procedit, tùm quoque nativa successio meretur hoc, & exigit ut ille sit verus realis & legitimus Rex, ideo idem Jacobus III. rectè legitimè & prudenter vocatus Rex, & rectè pro legitimo Rege habetur, & titulô Regis nominatur à Sacra Congregatione Rituum, in Decreto ejusdem Congregationis die 3tia Februarij Anno 1720. licet actualiter non possideat Regnum Britanniæ.

Caput & Matrix Ordinis Nostri Sacrosancta Ecclesia Hierosolymitana ejusque Canonici Antecessores Nostri, meruerunt sibi hoc, ut essent & legitimè vocarentur Custodes Sacrosancti Dominici Sepulchri: quare licèt nos Successores ipsorum, simus modò per Saracenos expulsi à dicto Sacrosancto Sepulchro, tamen propter illam antiquam & legitimam successionem à Patribus Nostris Sanctissimi Sepulchri Custo-

Custodibus, legitimè, rectè, & prudenter possumus vocari Custodes ejusdem Sepulchri. Tandem Canonici Lateranenses defacto non resident modo in Laterano, nec illud ita possident sicut antea possidebant, & tamen rectè vocantur Lateranenses. certe piaculum esset negare illis hunc titulum. quare igitur nos vocari non possumus Custodes Dominici Sepulchri licet modò Sepulchrum non possideamus, nec penes illud resideamus. Ex his omnibus occasionaliter adductis, habes, quid respondere debeas illis, qui dum audiunt Ordinis Nostri Canonicos, vocari Custodes Sepulchri, jocari vel subridere solent, ex tali compellatione.

PVNCTVM II.

In quo proponitur Exemplar mediorum conducentuum ad tertium Vocationis Apostolicæ finem, in praxi exercendum.

Tertius Vocationis Apostolicæ finis est

est profectus, seu tendentia ad perfe-ctionem ut supra deduximus: ad hunc ergo finem in praxi exercendum ob-tinendumq; danda media sunt, hæc au-tem media non alia hîc erunt, nisi mo-di proficiendi, quibus habitis, & faci-liùs & efficaciùs proficere valeat Vir Apostolicus. Quoniam autem (ut toti-es jam innuimus) totum intentum no-strum est hoc, ut ex imitatione Vitæ Apostolicæ Vir Religiosus evadat Apo-stolicus, ideò hîc, dabimus modos pro-ficiendi Apostolicos Porro modi Apli-ci proficiendi sunt 2plices alij desumpti ex ipsis Aplis ab illisque usitati, alij desumpti non ex ipsis Aplis sed ex Viris Apostolicis, vitam, mores, Insti-tutum & zelum Aplicum imitantibus. Utrosq; hos modos seu industrias Apo-stolicas proficien. hîc adferemus, sed pri-mò dabimus modos desumptos ex ipsis Apostolis, tum deinde modos desum-ptos ex Viris Apostolicis: quod ut faci-liús præstemus, Punctum præsens in duas Sectiones dividemus Proinde sit.

Sectio

Sectio Prima.

In qua proponitur exemplar Modorũ proficiendi, deſumptorum ex ipſis Apoſtolis.

MOdi Apoſtolici proficiẽdi deſũpti & deſumibiles ex ipſis Apoſtolis plurimi imò innumeri poſſunt inveniri, quare ut eos diſtinctè ſaltim aliqua ex parte referamus, Sectionem præſentem in Paragraphos aliquot partiemur. Proinde ſit.

§ Primus.

In quo proponitur primus Modus proficiendi Apoſtolicus, deſumptus ex ipſis Apoſtolis.

PRimus Modus Apoſtolicus proficiendi deſumptus ex ipſis Apoſtolis eſt lætari ſpiritualiter in adverſis, gaudere in arduis, exultare in periculis, afflictionibus, calumnijs confuſionibus, & in quibuſcunque alijs perſecutionibus vel tentationibus. Modum ſeu in-

 duſtri-

duſtriam hanc proficiendi tradit expreſsè Patriarcha Ordinis Noſtri S. Iacobus Apoſtolus Frater Domini, & Primus Epiſcopus Hieroſolymitanus, in ſua Catholica Epiſtola dum inquit. *Omne gaudium exiſtimate Fratres mei, cum in tentátiones varias incideritis*: acſi diceret: Tota felicitas veſtra in hoc conſistit, ut aliquid pro Nomine DEI pati valeatis: quare ſi vobis aliquid pati contigerit, ex hoc nolite fieri triſtes, ſed potiùs toto corde gaudeatis, quòd vobis DEVS providerit modum proficiendi & bene merendi, ideo hunc modum & occaſionem non prætermittatis, ſed eundem in praxim gaudentes reducatis; ſtatimque ibi ſubjungit rationem ſequentem: *Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Hunc modum proficiendi traditum à Sancto Iacobo Apoſtolo, exactè implevit & Paulus Apoſtolus ut de ſe ipſo teſtatur dicens: *Repletus* (a) *ſum conſolatione, ſuperabundo gaudiô, in omni tribu-*

(a) *2a ad Corinth. 7. V. 4.*

bulatione nostra: pari per omnia ratione & cæteri Apostoli exercuerunt præfatum modum proficiendi, sed omnes enumerare non vacat.

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolicæ, si vis Apostolos imitari, hôc tibi modô, hâc industriâ utendum est in proficiendo. Quando intra Portam Religionis diriges gressus tuos, permittet in te DEVS hanc vel illam tentationem, hanc vel illam persecutionem, opprobrium, contemptum, humiliationem, morbum, afflictionem & alia his similia, in his omnibus non est despondendum animô, non est diffidendum de misericordia DEI, non est extremè tristandum, sed tunc maximè gaudendum, quando maximè instabit & urgebit calamitas. Qui instante calamitate vel quacunque calumnia tristatur, quid aliud facit nisi hoc, quòd sibi calamitatem augeat? ipsa enim tristitia, interna calamitas est, pejor omni alia calamitate externa: qui autem ita cautus est, ut superveniente tentatione vel quacunque tribulatione lætatur, eam-

que propter DEVM & supremam Voluntatem ejus hilari corde sustinet, huic & tentatio nihil nocet, & ex eadem tentatione proventum profectus Apostolico-religiosi acquirit. Normam & exemplar hujus dexteritatis primò præbuerunt tibi Apostoli & post illos multi viri Sancti atque probati, ut jam innui; horum igitur vestigia sequere, & continuò *æquã memento* (a) *rebus in arduis servare mentẽ, non secùs in bonis.*

§ Secundus.

In quo proponitur Secundus modus proficiendi Apostolicus.

SEcundus modus seu industria Apostolica proficiendi, est proponere exercitium alicujus virtutis, illudque tamdiu continuare, quàm diu vel effectum competitionis tuæ non obtineas, vel à continuatione virtutis propositæ morte tua vel alia ratione superveniente legitima, non dispenseris. Hôc modô seu industriâ proficiendi usus Patriarcha Ordinis Nostri S. Iacobus Apostolus; hic enim post

(a) *Horatius.*

poſt ſuſceptam à CHRISTO Domino Fratre suo mortem in Cruce, propoſuit tam diu jejunare, quàm diu non videret eum reſurgentem, juxta Hiſtoriæ teſtimonium. *Iuravit* (a) *Iacobus ſe non comeſturum, panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis.* Et noluit DEVS tam ſublime virtutis exercitium in casſum abire, nam quidquid optavit & ſummopere deſideravit ſperavitque Iacobus, hoc totum in effectu obtinuit, ut patet ex Sacra Hiſtoria dicente: *Apparuit Dominus Iacobo poſt reſurrectionem & dixit ei: Frater mi comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Relatâ immediatè induſtriâ proficiendi uſus eſt & S. Paulus Apoſtolus, qui propoſuit ſibi vadere in Ieruſalem prædicandi Evangelij gratiâ, ubi licet multa pericula euentura præſentiret, tamen à ſuo propoſito nullatenus removeri paſſus eſt, ut patet ex verbis ipſius: (b) *& nunc ecce alligatus ego Spiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea*

(a) *S. Hieronymus in Cathalogo Script: Eccleſ.*
(b) *Actor. C. 20.*

 ven-

ventura sint mihi ignorans: nisi quòd Spiritus Sanctus per omnes Civitates mihi protestatur dicens: quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum & ministerium Verbi quod accepi à Domino IESV, testificari Evangelium gratiæ DEI. Cæterorum Apostolorum fortitudinem in suis continuandis propositis non refero, quia (ut jam dixi) referre omnes non est possibile, sufficit ex uno vel altero fundamentum & Normam virtutis accipere, in reliquis id totum supponendum est.

Candide Imitator sive Professor vitæ Apostolicæ, si vis verè Apostolicum imitari vel profiteri Institutum; necessarium est ut in profectu tuo exercendo & ampliando, hâc industriâ utaris, quâ usum esse vides hunc S. Apostolum, nimirum ut tunc dum vis à DEO Optimo Maximo aliquid obtinere, proponas exercitium alicujus virtutis exequi, illudquè tam diu conti-

nues,

nues, quàm diu intentam gratiam non obtineas, vel à continuatione proficiendi, legitima ratione non excuseris. Verum est quòd non simus digni, ut propter nos DEVS faciat miracula, vel apparitiones extraordinarias, sicut fecit propter meritum virtutis propositæ à S. Iacobo Apostolo, neque propter ejusmodi miracula vel apparitiones debemus similia virtutum exercitia proponere, tamen in hoc possumus imitari prædictum Sanctum Apostolum, ut scilicet alicujus virtutis exercitium saltim aliquando proponamus, & tam diu continuemus, quàm diu intentum nostrum non obtineamus, quod si nunqã obtinuerimus, nec spem obtinendi habuerimus, cæterum ab inchoato virtutis exercitio nunquam desistere debeamus, sed illud usque ad mortem ipsam perficiamus, ut sic vel in morte ipsa coronemur, vel documentum constantiæ posteris nostris relinquamus. Parum prodest virtutis exercitium proponere, si illud post aliquot dies vel horas displiceat ex negligentia continu-

 are:

are: DEVS enim non initia, ſed finalem virtutis continuationem præmiare ac coronare ſolet, juxta illud Scripturæ: *Qui perſeveraverit usque in finem hic ſalvus erit.* Non tantùm ergo in hoc imitanda eſt induſtria profectus Apoſtolici, ut aliquid faciendum proponamus, ſed ut hoc, quod proponimus fideliter continuemus: unde Iacobus Apoſtolus non tantùm propoſuit ſe panem non comeſturum, ſed etiam juravit; ut per hoc juramentū ſtrictiùs ſe obligaret, & ſic faciliùs virtutis documentum exhiberet: talia debent eſſe & noſtra propoſita, ut illa tanquam juramenta obſervemus, & nunquam eadem ullius negligentiæ vel tepiditatis prætextu violare audeamus. Debent quidem ſimplicia propoſita differre à juramentis & votis; cæterum exactus Inſtituti Apoſtolici Profeſſor, & quicunque alius perfectæ virtutis amator, ita debet obſervare facta à ſe ipſo etiam ſimplicia propoſita, illorumque violationem ita abhorrere, acſi eſſent juramenta: si enim ſemel ſibi perſvaſerit levem eſſe aut

nul-

nullam suorum propositorum obligationem, raró aut nunquam illa exequetur, & sic notabiliter à perfectione deficiet.

§ Tertius.

In quo proponitur tertius Modus seu industria Apostolica proficiendi.

TErtius modus seu industria Apostolica proficiendi, est obedire non tantùm illis, quibus tenemur præstare obedientiam, sed etiam illis quibus non tenemur, nempe malevolis, persecutoribus, inimicis, & insidiatoribus nostris. Istius industriæ in proficiendo satis evidens documentum exhibuit in se prædictus S. Iacobus Apostolus, nam cum Principes Iudæorum, Pharisæi, & Scribæ accessissent ad eum & rogarent, ut illis qui die Paschæ Hierosolymam convenerant, persvaderet de IESV, ne de ipso fallantur, juberentque ut ascenderet templi pinnaculum quatenus cernatur à toto populo, & verba ejus ab omnibus audiantur;

tur: Iacobus licèt sciret perversum animum Iudæorum, tamen obedivit petitioni & requisitioni eorum, ascendit templi pinnaculum, & aperuit sensū suum de IESV: quem cum audissent Iudæi, statim quidem Iacobum lapidibus obruerunt, & de loco eminenti in terram præcipitârunt, tamen ei de his ipsis lapidibus coronam Martyrij nexuerunt. Quòd si ultra Iacobum Apostolum & in alijs Apostolis requiremus Normam & exemplar obedientiæ etiam malevolis, præstandæ, sine dubio in singulis illud reperiemus: sic Petrus & Andreas obediêrunt lictoribus dum in Crucem agerentur, Bartholomæus dum propria cuti eximeretur, Paulus dum virgis cæderetur, reliqui pariter Apostoli, dum singulis tormentis afficerentur.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ si vis Apostolos imitari, debes in praxim reducere & hanc tertiam industriam proficiendi, nempe debes obedire aliquando non tantùm his, quibus obedientiam præstare vovisti, sed etiam alijs

alijs nempe malevolis, levibus, inconstantibus, inimicis, hostibus, persecutoribus, & continuis insidiatoribus tuis. Exemplum hujus obedientiæ præsti tit tibi primò ipse CHRISTUS Dominus obediens usque ad mortem, non tantùm Principibus Sacerdotum, Magistratibus, & Concilijs, sed etiam lictoribus & tortoribus se opprimentibus: *2do* ejusdem obedientiæ documentum præstitit tibi S. Iacobus Apostolus Patriarcha Ordinis Nostri, hoc ipsum præstiterunt & cæteri S. Apostoli à primo ad ultimum, nihil ergo restat, nisi ut habitis tot exemplis & vestigijs, fideliter illis in hæreas. Satis laudabilis est obedientia quæ præstatur legitimis & Canonicè electis Superioribus, Iurisdictionibus, & Subsellijs; cæterum & hæc quæ se submittit aliquando hominibus conditione inferioribus, authoritate carentibus, jurisdictione destitutis, alijsque sive ad se impertinentibus, sive discolis, infamibus, sive persecutoribus, sive inimicis & hostibus, est magni momenti apud DEUM, & æstimationis. Qui

enim

enim ſpectatis circumſtantijs & remotô omni ſcandalô, ſubmittit ſe aliquando tali Perſonæ, quæ vel conditione aliqua inferior eſt, vel juriſdictione legitima caret, vel eſt infamis &c. &c. in hoc taliter ſe ſubmittente major apparet humilitatis celſitudo, quàm in eo qui obedit Perſonæ, quæ & conditione, & juriſdictione, & authoritare, & meritis legitimè Superior & major eſt. Sicut enim major eſt illa humilitas, quâ Rex obedit ſubdito, quàm illa, quâ ſubditus obedit Regi, ita major eſt humilitas illa, quâ Vir Apoſtolico-religioſus obedit homini ad ſe nullatenus pertinenti, vel inferiori, vel infami, vel quacunque alia ratione poſteriori, quàm illa, quâ obedit ſuo legitimo Superiori canonicè electo. Ordinaria obedientia eſt obedire his quibus obedientiam vovimus, obedire autem vel inferiori, vel ad ſe impertinenti, vel infami, vel hoſti ac inimico ſuo hoc genus virtutis extraordinarium, rarum, & admirandum eſt, ipſoſque etiam hoſtes ac inimicos noſtros, in-

ſpera

ſperatè reconcilians. Hâc obedientiâ poſt Apoſtolos uſi ſunt omnes Martyres CHRISTI, obedîerunt Tyrannis, ſubmiſerunt ſe perſecutoribus, non reſtiterunt lictoribus, tortoribus, alijsque oppreſſoribus ſed per omnia & in omnibus illos audîerunt, uſque ad mortem ipſam, ad illorumque mandatum colla ſua ferro ſubdiderunt: quantum autem fructum exinde obtinuerunt? admirari poſſumus non eloqui! aliquibus enim ipſæ beſtiæ obediebant, aliquos ipſi lictores præ veneratione & zelo fidei extimuerunt, in eodemque inſtanti converſi ſunt, ad aliorum nutum & orationem idola Deorum falſorum ceciderunt, & in pulverem redierunt, ad aliorum autem conſilium innumeri percutientes pectora ſua convertebantur, & Baptiſmum petebant, prioresq́; ſuos errores damnabant. &c. &c.

§ Quartus.

In quo proponitur quartus modus proficiendi Apoſtolicus

Quar-

QVartus modus proficiendi Apostolicus, est tunc actualiter orare pro inimicis, hostibus, & persecutoribus nostris, quando nos illi ipsô factô persequuntur, impetunt, odijs, convitijs, calumnijs, afficiunt, aut mortem inferre intendunt. Immediatè relata proficiendi industria habet quidem fundamentum in ipso angulari lapide CHRISTO IESU, qui pro suis crucifixoribus actualiter eundem blasphemantibus & persequentibus orabat dicens: *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt:* sed etiam post angularem lapidem CHRISTUM IESUM, non exigua præfatæ industriæ jecit fundamenta S. Iacobus Apostolus Patriarcha Noster; hic enim dum pro confessione Domini Nostri IESU CHRISTI lapidaretur à Iudæis, non eos maledicebat neque confundebat, neque verbis duris, aut impetuosis, & impatientibus afficiebat, sed potiùs ardentissimè oravit, juxta illud Historiæ testimonium: *Dum lapidibus obrueretur Beatus Iacobus Apostolus, flexis in terrã genibus orabat dicens: Pater* (a) igno-

(a) *Hieronymo in Cathalogo Script. Eccl.*

ignosce, illis quia nesciunt quid faciunt. Nec reliqui Apostoli ab oratione desistebant quando à suis opprimebantur persecutoribus; sed tunc pro ipsis magis ac magis orabant, quò fortiùs torquebantur ab illis. Si detinebantur in carcere? *exortum est in tenebris, lumen rectis;* quô illustrati persecutoribus dimittebant, & pro ipsis DEUM precabantur: si actualiter dira supplicia sustinebant, in ore ipsorum nihil erat magis actuale, quàm pro suis inimicis ferventissima oratio.

Candide Imitator sive Professor vitæ Apostolicæ, si vis Apostolos (& præsertim tuum Sanctum Patriarcham) imitari, specialis tua sollicitudo in hoc debet esse posita, ut hostes, inimicos, persecutores & insidiatores tuos, odiô non prosequaris sed amore, pro illisq; tunc urgentissimè ores DEVM Optimum Maximum, quando illi te maximè persequentur. Resistet quidem huic industriæ proficiendi ipsa natura, non permittet prædictam industriam ad effectum deduci; innatæ passiones pugna-

gna-

gnabunt inter ſe, teque accendent ut maledicentibus maledicas, perſequentes perſequaris, hoſtes hoſtiliter tractes, inimicis inimicitias retribuas, odium pro odio rependas, & ubique vicem pro vice reddas, tamen non ſic docet Magiſter Apoſtolorum CHRISTUS, neq; ſic unquam fecit, ſed oppoſitum: non ſic docent Apoſtoli Diſcipuli CHRISTI, Domini, & Magiſtri totius orbis, non ſic docuit & non ſic faciebat Patrîarcha tuus S. Iacobus Minor & Apoſtolus, (ut jam ſuperiùs deduxi) itaque in omni perſecutione, tentatione, calumnia, confuſione, maledictione, detractione, infamia, & odio contra te excitato, non natura per peccatum corrupta, ad malum procliviſſima, non paſſiones congenitæ, non primi motus & impetus, non furor mentis extra ordinarius, non denique ulla commotio & alteratio naturalis, ſed ratio ſuperior, dictamen conſcientiæ, & lumen prudentiæ, doctrinâ CHRISTI, & exemplô Apoſtolorum adjutum, ſequendum & tenendum eſt. Cum autem do-

ctrina CHRISTI operibus confirmata & exempla Apostolorum, ostendant & doceant nos, quòd pro persecutoribus nostris, etiam ipsô factô nos opprimentibus, debeamus orare, illos amore prosequi, venerari, æstimare, diligere, & omni charitatis obsequiô afficere, ideo huic doctrinæ & exemplis constantissimè innitendum est. Diligere diligentes te, venerari venerantes te, æstimare æstimantes te, laudare laudantes te, benedicere benedicentes te, defendere defendentes te, quid est aliud nisi tantum pro tanto accepto reddere? proinde quicunque taliter diligit, vel ipse alteri solvit quod debet, vel ipsi ab altero solvitur quod debetur, nempe ex utraque parte dilectio pro dilectione, honor pro honore, æstimatio pro æstimatione justitialiter ad æqualitatem rependitur, & interim nihil relinquitur pro quo possit sperari præmium cæleste & æternum: ubi autem dilectio pro odio, amor pro invidia, honor pro contemptu, oratio pro persecutione, candor pro inimicitia, bene-

dictio pro maledictione, laus pro calumnia, fama pro infamia, elogium pro convitio adſcribitur, donatur, & offertur, ibi nullum præmium temporale percipitur, adeoque eò ipſò habebitur pignus & quoddam jus ad cæleſtem retributionem obtinendam, promiſſam ex oraculo ipſius CHRISTI Domini. potiùs igitur deſiſtendum eſt à præmio temporali, potiùs recedendum à compenſatione fragili, corruptibili & vix paucis diebus duratura; & ſic pro dilectione perſecutoribus exhibita, faciliùs lucrabimur præmia æterna.

§ Quintus.

In quo proponitur quintus modus proficiendi Apoſtolicus.

QVintus Apoſtolicus modus proficiendi ſeu tendendi ad perfectionem, eſt conſultò quærere occaſiones & circumſtantias tales, in quibus poſſimus aliquid facere, pati, & ſuſtinere propter DEUM, item quærere & adire talia loca, in quibus poſſemus ſaluti ani-

marum

marum prodesse, quærere item talia negotia, in quibus DEI gloriam, proximi fructum spiritualem invenire valeamus. Et hic modus proficiendi est proprijssimus, usitatissimus, & acceptissimus Apostolis: Apostoli enim non sedebant in uno aliquo determinato loco, expectantes ut se ipsis aliqua offerret proficiendi occasio, sed illi ipsi quærebant consultò occasiones proficiendi, bene merendi, saluti proximorum inserviendi, calumnias patiendi, & alia similia tolerandi. Unde Apostoli non constituerunt sibi in ulla determinata Civitate, Oppido, Regno, vel Provincia fixum & determinatum locum eo fine, ut ad illos, gentes & nationes venirent, pro doctrina veræ fidei capienda, verùm singuli eorum, divisi sunt & dispersi in singula Regna, Civitates, Provincias, villas & pagos: quo precor fine hanc divisionem sui fecerunt? certè non alio, nisi ut occasiones proficiendi quærerent, animas CHRISTI Sangvine redemptas ad docendum investigarent, errantes in viam rectam deducendos in-

quirerent. Si Apostoli sedissent tanquã stellæ fixæ in uno determinatè loco, nunquam tantùm in gentibus convertendis ad fidem profecissent, sed quia continuò de civitate in civitatem, de Gente in Gentem, de Regno in Regnũ ibant & procedebant, currebant & recurrebant, imò planè volabant, ideo tantùm profecerunt, ut eorum doctrinâ totus erudiretur & converteretur orbis! Memores erant illius præcepti sibi à CHRISTO Domino Magistro suo dati: *Euntes docete*: & fortè dicebant intra se: non dictum est nobis: *sedentes docete*: sed *euntes docete*: eamus ergo continuò, & doceamus, transeamus de Gente in Gentem, de Regno in Regnum, quæramus lucrum animarum, ut tandem aliquid in aliquo Vrbis vel Orbis angulo reperiamus.

Candide Imitator, sive Professor vitæ Apostolicæ, si vis Apostolos imitari necessarium est, ut non expectes domi vel in quocunque occulto angulo tuo occasiones proficiendi, sed ut eas ipse consultò quæras, investiges, scru-

scruteris & totô studiô colligas. Regnum Cælorum assimilatum est non homini negotiatori, jam ipsô factô habenti & possidenti bonas margaritas, sed potiùs homini negotiatori quærenti margaritas: ut discamus, quòd Regnum Cæleste in mundo, non habere sed quærere debeamus, consequenter occasiones, circumstantias, & modos proficiendî, non expectare, sed investigare teneamur. Occasiones & circumstantiæ in quibus possemus aliquid sustinere propter DEUM, multæ reperiuntur in Religionibus, & tales sunt promotio boni publici sine respectu ullius lucri aut præmij, amor observantiæ Religiosæ, vigor Constitutionum & Regulæ in suo vigore conservatus, correctio & exstinctio abusuum ad Religionem inductorum, pæna justitialis assignata sceleribus, intentio propalata corrigendi hos & illos defectus, excitatio, provocatio, vel etiam svavis invitatio aliorum ut pro ampliatione Religionis, ex particularibus Beneficijs aut Conventibus aliquid de proventu sibi

gratis ad tempus concesso, conferant &c. hæc omnia ex natura sua sunt bona & optima, sed si illa quispiam vir Religiosus authoritatem habens promovere velit, & ad effectum deducere, multa ipsi sustinenda, plurima propter DEVM toleranda sunt. Quàm primùm enim ad hæc promovenda se convertet, dicent hi & illi: fuerunt in hoc officio, Prælatura, Dignitate tot Viri Sancti, Sapientes, fundati in spiritualibus, zelosi honoris DEI & disciplinæ regularis; nihilominus talia non attentabant, hos abusus tolerabant, consvetudines antiquas usu insensibili introductas dissimulabant &c. &c. alij verò non tantùm similia dicent sed etiam resistent, quærent modos impediendi pia desideria, calumniabuntur &c. &c. quæ omnia ut superentur, multa sunt patienda propter DEVM. Deinde occasiones quas debet quærere Vir Religiosus, ut proficiat sunt negotia ardua, difficilia, & dura, quæ sine gravi molestia & labore, non possunt, expediri, uti sunt longa itinera in causa Religionis,

diu-

diuturna tractatio alicujus officij propter commune bonum, directio Novitiorum, applicatio ad munia & officia domestica quidem, servilia tamen & infima, & alia his similia, quæ omnia appetentibus & ambientibus dulcia sunt, quàm diu illa non gustaverint, bonis autem Religiosis amara, molesta, & gravia sunt: quia mallent DEO soli, & animæ suæ vacare, quàm his distractum habere animum. Cæterum tamen & in his proficiemus, & ista suscipienda sunt aliquando in meritum obedientiæ, salutem proximi, & honorem DEI. Loca verò in quibus Vir Religiosus proficere possit, ordinariè possunt esse hæc: Chorus, Ecclesia, Refectorium, infirmarium, & quodlibet ædificium vel residentia illa etiam externa, ad quam de suorum Superiorum voluntate ordinatur &c. &c. In choro ex intentione pia & fervida canat; in Ecclesia oret, sicut præscribitur, in Refectoriò non tantùm corpus sed etiam spiritum reficiat, in infirmario ministret infirmis, eos consoletur, erigat, cæteraque

etiam infima obsequia præstet, & sic ubique proficiet. Sunt & aliæ occasiones, loca, & circumstantiæ, extraordinariæ in qvibus Religiosus proficere possit, sed quis illa, vel illas enumerare poterit? quocunque se confert Vir Religiosus, habet campum, occasionem, & modum proficiendi, dummodo profectum quærat.

§ Sextus.

In quo proponitur sextus modus proficiendi Apostolicus, seu desumptus ex ipsis Apostolis.

SExtus modus proficiendi Apostolicus est gratè & patienter acceptare singulas occasiones, circumstantias, & eventus occurrentes, nostro gustui placito, appetitui & voluntati repugnantes displicentes, ac è diametro disconvenientes: & hic modus proficiendi est proprijssimus Apostolis, hi namque totum illud quidquid in eos permisit DEVS Optimus Maximus, Magister

gister eorum CHRISTUS Dominus, sacrosanctè, acceptârunt, susceperunt, submissoque corde amplexi sunt, etiam insperatos eventus & pericula. Et sic permisit CHRISTUS in Petrum ut mergeretur in mari, acceptavit hunc insperatum eventum Petrus, permisit in Paulum ut ter naufragium pateretur pro ejus Nomine, acceptavit hoc discrimen Paulus, permisit in Iacobum Patriarcham Ordinis Nostri, ut à Judæis tolleretur in templi pinnaculum, & deinde præcipitaretur, acceptavit hanc occasionem Iacobus proficiendi, permisit in Thomam ut alijs Apostolis congregatis ille solus adesset & postea discrederet, acceptavit hoc Thomas, & postea dubietatis fundamentũ vertit in melioris Fidei argumentum. Permisit tandem CHRISTUS Dominus in alios Apostolos multa & innumera pericula, multos & insperatos eventus eosque difficiles, arduos, naturalique inclinationi repugnantes; tamen hos omnes, acceptârunt singuli, & ad effectum deduxerunt.

Candide Imitator Vitæ Apoſtolicæ, ſi vis Apoſtolos imitari, debes gratè & patienter acceptare ſingulas occaſiones, circumſtantias, & eventus etiam inſperatè occurrentes tuo gustui, placito, appetitui, naturalique inclinationi repugnantes. Tales occaſiones, circumſtantiæ, et eventus ſunt, quando Superior aliquid inopinatum, grave, inſperatum, & planè viribus noſtris inſuperabile mandat. Item quando videns aliquem defectum, de eo arguit ſeriò, increpat, vel pænam gravem, aut improportionatam aſſignat, Item quando Superior vel indiſcretus, vel nimis rigoroſus, vel nimis moleſtus eſt: item qvando cuilibet relationi, delationi, informationi, etiam falſæ credit, & de veritate ipſius non inquirit, ſed quàm primùm eam audiverit, ſtatim ſic delatos corrigit, caſtigat, punit, vel damnat, item quando Superior mandat hæc omnia impleri, quæ ſpectant ad ſubditos, & ipſe nec exequitur ea quæ ſpectant ad ipſum, nec providet ea, quæ ordinariè requiruntur, ad Regulæ,

ſtatu-

ſtatutorumque perfectam obſervantiam. Tandem occaſiones, circumſtantiæ, & eventus occurrentes, quos Vir Apoſtolicus ſi vult fervidè proficere, libenter acceptare tenetur, ſunt omnes illi effectus, caſus, & negotia, in quibus reperitur aliquid nobis & appetitui noſtro moleſtum, aſperum, contrarium, & difforme, quæ omnia ſi vir Apoſtolicus gratè, libenter, & ſvaviter propter DEVM acceptabit, ſuſcipiet, & patietur, mirum in modum brevi proficiet. Proinde quicunque teneris tendere ad perfectionem, ſi non tendis quærendo, tende ſaltim acceptando libenter occaſiones & circumſtantias proficiendi. Mercatores exacti non tantùm hôc modô lucrantur quòd ſcilicet quærant merces pretioſas per ignota maria & Provincias, ſed etiam hôc, quòd nimirum acceptent, omnem occaſionem & circumſtantiam lucrandi, quæcunquæ illis accidentaliter occurrit. O quanta hilaritate illi ſuſcipiunt advenientes emptores! ô quanto affectu, ſvavitate, ſubmiſſione, complectuntur eos

qui

qui veniunt aliquid emendi gratia! à longè ad se provocant, affabilitèr invitant, & omni possibili modo alliciunt ut aliquid lucrentur: hac arte modoque tu utaris, qui vis proficere, si non quæris merces spirituales per hæc & illa Regna navigando, infidelibus prædicando, gentes convertendo, discolos componendo &c. &c. saltim accepta prædictas merces spirituales, quando tibi ultro insperatè occurrunt; ostende magnam hilaritatem, quando tibi aliquid molestum injungitur, suscipe cum magno affectu svavitate, & humilitatis obsequio, quando tibi id evenit, quod hìc nolles evenire tibi, imò à longè quantùm fieri potest provoca ad te omnem adversitatem, & quodam modò invita, ut illam propter DEVM patiaris & sustineas. Quid proficeret arte sua Mercator, si quamlibet occasionem lucrandi respueret, abijceret, & contemneret? defacto nihil: imò omnem fortunam suam tali methodo ad ruinã, & interitum deduceret; ita & tu nihil proficies, si omnem occasionem

pro-

proficiendi negliges, postpones, & repudiabis.

Mare orbis terrarum ita est amplum, longum, & profundum, ut nunquam redundet & nunquam exundet, nunquam augeatur & nunquam minuatur, sed continuò plenum, integrum, & vastissimum est, si tamen concurrentia ad se flumina, si redeuntes alveos, ac universos ex toto orbe fontium rivos non acceptaret, sed respueret, vel se littoribus clauderet, defactò brevi tempore minueretur, deficeret, & tandem aridum fieret: eadem ratione sit perfectus & plenus virtutibus ex omni parte Vir Apostolicus, tamen si occurrentes adversitates non acceptabit libenter, si hæc quæ sunt nostro appetitui contraria, à se, propellet, in angusto dierum intervallo notabiliter à via perfectionis recedet, & tandem ita aridus fiet, ut nihil boni, nihil salutaris germinare poterit. Magna est perfectio quærere deliberatè occasiones proficiendi, sed pariter non est modica virtus acceptare inopinatas circumstanti-

as ad

as ad profectum augendum conducentes, imò dicam veriùs, major eſt aliquando perfectio acceptare inopinatos eventus, & inſperatas adverſitates noſtræ voluntati repugnantes, quàm easdem quærere: quia dum eas quærimus, facimus hoc ex prævisione omnium malorum & difficultatum, & reſolvimus nos ad illas ſuſtinendas, armamus nos pijs antecedenter exemplis & propoſitis, dum autem non quærimus, ſed nobis occurrit aliquid inopinatum, inſperatum & ferme intolerabile, ſimulque ſenſualitati noſtræ repugnans, & tamen illud tam inſperatè eveniens, quamvis ſit moleſtum, aſperum, & ingratum acceptamus, tunc virtus! tunc ſublimitas perfectionis eſt! Unde in particulari loquendo, magna perfectio eſt quærere occaſiones in quibus obedientiam exerceamus, ſed major perfectio eſt acceptare obedientiam & mandatum Superioris inopinatè aliquid durum, moleſtum, vel grave injungentis, magna eſt perfectio quærere occaſiones humiliandi, ſed major eſt ibi acceptare con-

contemptum&postpositionem nostram ubi eam non speravimus. Hìc ergo reflectaris qualiter hòc modô proficiendi usus fieris. Fortè vix unicum verbum protulit Superior, & tu statim excanduisti, durè respondisti, oculos torvos exhibuisti & plura in eum probra ac murmura effutijsti quàm ille cogitaverit verba correctionis exhibere? O verè si ita frequenter faciemus, si continuò ita non acceptabimus à Superiore, quæ nobis molesta vel adversa occurrunt, parum aut nihil proficiemus.

§ Septimus.

In quo proponitur Septimus Modus proficiendi Apostolicus.

SEptimus modus proficiendi proprius Apostolis est persequi ad braviũ supernæ vocationis, & tamen non respicere ea quæ retro sunt, seu curare continuò perfectionem & tamen nunquam ea spectare quæ jam fecimus, sed quæ nobis facienda restant, & tali mo-

li modo proficere curabat ac ipsô factô proficiebat Doctor Gentium, & Apostolus CHRISTI Paulus; ut de se ipso testatur dicens *Non quod jam acceperim,* (a) *aut jam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam; in quo & comprehensus sum à CHRISTO IESV. Fratres ego me non arbitror comprehendisse: unum autem; quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad braviũ Supernæ Vocationis DEI in CHRISTO IESV.* Et ad talem proficiendi modum, cohortatur nos idem Apostolus locô citatô immediatè dicens: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolicæ, si vis proficere Apostolicê, proficias ita, ut nunquam putes te jam aliquid comprehendisse; ita proficias ut eorum quæ retro sunt obliviscaris, ad ea verò quæ sunt priora te extendens, currendo ad destinatum bravium supernæ Vocationis. sicut enim exercitus hostem fugientem per-

(a) 3. ad Philipp. V. 12.

persequens, nunquam respicit ea hominum millia quæ jam à tergo cæsa reperiuntur, sed tantùm illuc tendit, illuc arma & vires extremas convertit, ubi hostem fugandum, vincendum, & triumphandum videt: ita Vir Apostolicus non debet inspicere quæ jam in Religione bona fecit, quos hostes superavit, sed tantùm diligenter debet inspicere, quæ ipsi adhuc virtutes exercendæ restant, qui hostes fugandi, vincendi, triumphandique manent, quæ passiones frangendæ, quî motus còërcendi, quæ vitia & infirmitates expugnandæ? Si exercitus hostem victum persequens subsisteret aliquantulum, & interim cæsa hominum millia admiraretur, vel numeraret, tunc hostis fugiens videndo retardatum victorem exercitum, facilè vires debilitatas resumeret, iterum ad victoriæ locum irrueret, triumphantemq; fortunam absq; difficultate frangeret: ita Vir Apostolicus si in proficiendo subsistat, & interim expendat vel consideret quantùm jam profecit, quot hostes, insidias, &

 rebel-

rebelliones superavit, tunc capitalis animæ nostræ hostis videndo hanc in profectu remoram, vires quodammodo reassumit, iterùm nos aggreditur, & superare tentat. Periculosum igitur est ea quæ fecimus respicere; quia inde & hostis noster fortior evadit; & nos hinc aliquando superbiæ jaculis imperimur; vel nos jam bravium comprehendisse arbitramur.

B. Antonius Magnus tantæ sanctitatis fuit, ut de illo Athanasius Episcopus dixerit: *perfecta est ad virtutem via, Antonium scire quis fuerit?* tamen hic Vir ita Sanctus, nunquam respiciebat quid fecerit? sed tanquam modò inciperet ita se gerebat: ut de ipso testatur prædictus Athanasius dicens: (a) *Nec temporũ longitudine, locorũ merita pensabat, sed amore & famulatu spontaneo, semper tanquam in principijs constitutus ad profectũ Divini motus desideriũ concitabat, novisq; cupiens augere præterita, supra memorati Doctoris sermonũ recordabatur; qui ait præterita oblivis cens & in futurũ convalescens. Meminerat Eliæ Prophetæ dicentis: vivit Dominus*

(a) *In Vita S. Antonii.*

minus cui adsto hodie ante ipsum, & dissererebat, cur hodie appositum? quia non computabat Elias præteritum tempus; sed tanquam quotidie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat, dignum DEI esse conspectibus, purum corde & paratum obedire voluntati ejus. (a) Abbas Pammon in ipsa hora quando transibat jam de corpore, dixit alijs Viris Sanctis astantibus sibi, quia ex eo quo veni in hunc locum solitudinis, & fabricavi mihi cellulam & habitavi in ea, extra manuum mearum laborem non recolo me comedisse panem, neq; locutum fuisse sermonem, quem me protulisse pœniteret usq; in hanc horam, & sic vado ad Dominum, quomodò qui nec initium serviendi DEO adhuc fecerim. (b) Abbati Sysoio cum tẽpus dormitionis ejus advenisset, & multi alij senes convenissent, viderunt faciem ejus fulgore quodam radiantem: & dicit eis ipse: Ecce Abbas Antonius venit; & post pauca ait: Ecce & Chorus Prophetarum,

 & ite.

(a) *In Vitis PP. Parte 2da fol: 148.*
(b) *In Vitis PP. ibid.*

& iterum facies ejus clara luce aspecta est, & dixit eis: Beati quoq; Apostoli adsunt: visusq; est cum quibusdam loqui. Cum ergo postularent ab eo Patres, ut cum quibus loqueretur ediceret, at ille. Angeli (inquit) venerunt auferre animam meam, & supplico illis, ut paululum me pro pænitentia agenda sustineant. Dicunt autem ei Patres: Tu jam non indiges pænitentiam agere Abba: at ille respondit: *In veritate dico vobis, quia nec initium pænitentiæ me reminiscor arripuisse.*

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, quid habes simile, vel saltim in aliqua ratione proportionatum sanctitati tantorum Virorum? defactò parùm aut nihil: & tamen fortè multoties ea, quæ retro jam sunt spectâsti, fortè non semel dixisti jam etiam tot mala in Religione sustinui, tot labores, pericula, & discrimina subivi, jam tot negotia, causas, & tractatus propter bonum commune expedivi, promovi, & sincerè continuavi, jam tot exempla patientiæ, humilitatis, obedientiæ, cætera-

terarumq́; virtutum exhibui, proinde possum etiam mihi interdum quiescere, viresq́; debilitatas reassumere. Sed præcaveo, periculosa est ejusmodi indulgentia! periculosa est retrospectio bonorum nostrorum in Religione exhibitorum, obliviscamur eorum quæ fecimus, & ad hæc peragenda tendamus, quæ nondum egimus. Dum nos ex superficie respicimus multa nos fecisse arbitramur, multa nos merita habere putamus, plura nobis præmia deberi existimamus, & pro injuria nobis illatâ judicamus, si hoc nobis non conferatur quod alijs collatum est, verum si securim ad radicem mittamus, & interiora nostra penitus discutiamus, videbimus multa nobis deesse, videbimus alios magis meritos, & magis dignos esse hoc præmiô & officiô, quod ipsis collatum est. Proinde nunquam seducamur his, quæ gessimus, sed ad illa exequenda aspiremus, quæ nondum executi sumus, & sic ordinatè proficiemus,

Sectio 2da.

In qua proponitur Exemplar modorum proficiendi ex Apostolicis, alijsq; Viris pijs, & probatis desumptorum.

IN Sectione prima proposui modos seu industrias proficiendi ex ipsis Apostolis desumptas, & principaliter ex S. Jacobo Minore, Apostolo & Patriarcha Ordinis nostri; hîc autem proponam modos proficiendi desumptos ex Viris Apostolicis. Quia verò Viri Apostolici sunt innumeri, ideo non conabor hîc proponere industrias seu Modos proficiendi ex singulis ijsdem Viris Apostolicis, sed tantùm ex aliquibus idq; paucissimis, specialiter ex illis quorum vitã, mores, & Institutum Apostolicum saltim de congruo sequi tenemur, quales fuerũt nostri, Ecclesiæ Hierosolymitanæ Canonici & Episcopi; (quanquam & hos nonnisi brevissimè innuam) addam præterea aliquot industrias proficiendi ex S. Augustino utpote Doctore & Legislatore universi Ordinis Canonici:

nici: reliquas tandem industrias proficiendi eruam & annectam ex alijs Viris pijs, atq; probatis, in quorum vita Apostolicus emicabat Spiritus. Licet verò aliquos prædictos Modos proficiendi proponam ex Viris Apostolicis Ordinis nostri, tamen hi tales erunt, ut non solùm Canonicis Ordinis Nostri, sed etiam alijs omnibus Vitam Apostolicam imitari volentibus inservire possint. Quamvis deinde pro quolibet Modo proficiendî possem hîc citare plures Viros Apostolicos, tamen ab hoc, brevitatis studiô abstinebo, nihilominus illos plures ubiq; subintelligendos, & supponendos esse volo. Proinde sit.

§ Primus.

In quo proponitur primus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

PRimus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est intuitu etiam provectæ ætatis venerandæq; canitiei vel quorumcunq; laborum ac me-

ritorum per plurimos annos cumulatorum, non excusare se neq; eximere ab ullis laboribus, oneribus, molestijs, persecutionibus, officijs, munijs, austeritatibus, vigilijs, itineribus, incommoditatibus, & alijs quibuscunq; asperitatibus, sed stante etiam provecta ætate, stantibus & habitis etiam amplissimis meritis, applicare se ad omnes labores, officia, munia, austeritates, (servata tamen discretione) humiliationes, vigilias, & singula omnia nullô exceptô onera. Industriá hæc seu modus proficiendi, usitatissimus fuit multis Viris Apostolicis, sed inter alios etiam S. Simeoni Episcopo Hierosolymitano, S. Jacobi Patriarchæ Nostri immediato Successori: hic enim Vir Sanctus Apostolico Spiritu plenus, cum à quibusdã Sectæ Judaicæ perversis hominib9 accusaretur quòd Christianus & Supremus eorundem Christiánorum Episcopus esset, licet esset ætatis centum viginti annorum, & meritorum his ipsis annis majorum, tamen intuitu prædictæ ætatis tam provectæ ac merito-

ritorum, non subduxit se persecutioni tunc excitatæ contra Christianos, neq; hoc onus ferendum in aliquem alium juniorem, & minus meritum reposuit, sed ipse coram Attico Viro Consulari ad Tribunal stetit, ubi per multos dies tot & tantis plagis, verberibus, alijsq; innumeris molestijs affectus est, ut omnes qui in Concilio aderãt & ipse Consularis supra modum miraretur, quô pactô cum esset centum & viginti annos habens, talem & tam acerbum plagarum cruciatum sustinere possit. Non refero alios Viros Apostolicos, nũquam se intuitu provectæ ætatis vel meritorum etiam amplissimorum excusantes, à communibus oneribus & officijs, quia hac ipsa relatione deberem & possem volumina implere.

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolicæ, si vis ad normam Apostolicam proficere, necessarium est, ut intuitu, prætextu, vel respectu ætatis tuæ etiam provectæ meritorumq; etiam amplissimorum, in Religione acquisitorum non prætendas esse liber à

communibus oneribus, vigilijs, austeritatibus, officijs, itineribus, incommodis & alijs quibuscunq; & quôcunq; titulô nominandis munijs Religionis Pofessionisq; tuæ, sed ut ad hæc omnia etiam stante ætate provecta & meritis consummatis, scias & recognoscas, te esse obligatũ, illaq; omnia quantùm potes, omni studio & conatu æqualiter cum alijs exequaris & frequentes. Verùm est quòd elaborati senes, ipsa annorum multitudine graves, alijq; Viri emeriti, habeant sua privilegia, exemptiones, prærogativas ac libertates, quibus à communibus ferendis munijs declarantur aliquando immunes, sed etiam ego hæc sicut tollere nolo, ita nec illis quidquam derogo, sed tantùm horum ipsorum privilegiorum, exemptionum, ac prærogativarum abusum inductum non laudo: multi enim ex his, paucis aliquando meritis ornati neque nimis ætate gravati, licet possint plerumq; Divinis adesse officijs, licet possint surgere pro Matutino, pro Meditationibus alijsq; similibus pijs munijs esse

esse præsentes, tamen prætextu suarum exemptionum, etiam tunc dum non sunt actualiter suô officiô occupati, prædictis munijs adesse non solent, maluntq; tempus in loquelis, fabulis, conversationibus, distractionibus, inordinatis divagationibus cellarum consultò quæsitis consumere, quàm Majestatem Divinam simul cum alijs placare. Privilegia ergo & exemptiones viris emeritis, jubilatisq; concessa sunt, tantùm ad paulisper sistendum à labore, sed non ad totaliter à profectu & observantia regulari desistendum: qui illa meruit legitimè, & illis discretè utitur, bene facit: qui autem illa habendo, eadem non curat, neq; illa prætendit tanquam sibi aliquid debitum, sed zelô Divini amoris & profectus Religiosi accensus, applicat se ad omnia vel saltim aliqua munia specialiora Religionis superiùs nominata, hic meliùs, imò optimè facit. Et hoc ego in præsenti modo seu industria proficiendi persvadere intendo, videlicet censeo optimam, perfectam, & exactissimam esse industri-

am

am proficiendi, habere legitima privilegia, exemptiones, ac prærogativas vigore Senij, Iubilationis, Doctoratûs, Professoratûs, Magisterij &c: &c: & tamen illis vel absolutè non uti, nec prætendere, nec exigere à Superioribus; vel si aliquando fiat usus illorum, tamen ut sit moderatus, discretus, & cum regulari observantia conveniens. Exemptiones & exceptiones istæ, pariunt odium & aversionem; negligentia verò & heroica resignatio illarum, conciliat amorem & admirationem apud omnes. Dum Vir emeritus & alius quicunq; exemptus, arripit illud onus ferendum, ad quod vigore officij sui non tenetur, cæteri qui sunt obligati, nec tamen satisfaciunt suæ obligationi, videntes hoc, erubescunt, erubescendo compunguntur, promptiores fiunt ad suum munus obeundum, & tandem finaliter emendantur. Sicut ergo gloriosum est per virtutes & labores mereri aliqua privilegia Religionis, ita gloriosius & salubrius est illis non uti, sed illa ipsa ad majorem profectum suum

um, & alijs dandum exemplum convertere.

§ Secundus,

In quo proponitur secundus modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

SEcundus modus seu industria proficiendi ex Viris Apostolicis desumpta, est calumniam objectam ita pati & sustinere, ut non nitamur violentè, nos esse omnino immunes & innocentes ab illa, sed nonnisi ita excusemur, sicut & quando permittit professio nostra vel quando exigit ratio amovendi scandali. Tali industria proficiendi usus est S. Narcissus Episcopus Hierosolymitanus, huic namq; dum quidam nefarij homines (a) scelerum suorum sibi conscij, turpem objicerent calumniam, & ut eam falsò objectam populo persvaderent, jurejurando asseverârunt, unus se velle igne miserè perire, alter se morbô regiô vel quovis fædo corrumpi, tertius luminibus orbari nisi verum dixerint:

(a) *In Vita S. Narcissi.*

xerint: S. Narcissus auditâ contra se objectâ calumniâ non exarsit impetuosè contra falsos testes, non exprobravit illis malæ conscientiæ facinus, non contendebat omnino violentè & statim in instanti se innocentem evincere & ostendere, sed indignatione moderata rei, tũ vitæ solitariæ ac studiosæ virtutũ, (ad quam jam diu aspirabat) motus, ab oculis multitudinis penitus se removit, & in solitudine locisq; desertis, annos quàm plurimos vitæ transegit. Nec permisit diu magnus Divinæ Providentiæ oculus tantam calumniam S. Viri inultam esse, sed impios illos testes ad pœnas quibus se obligaverant, vocavit.

Cándide Imitator Vitæ Apostolicæ si vis Apostolicè proficere, opus est calumnias tibi quandocunq; objectas, vel obijciendas, ita patienter sustinere, ut non coneris violentè evincere te ipsum ab illis & statim ac in instanti apparere innocens ac immunis, sed ut saltim aliquantulùm illas modestè, svaviter, & humiliter studeas tolerare, expectando Sapientissimam Providentiam DEI cum

S. Nar-

S. Narcisso immediatè relato, ut te ab omni macula & calumnia malitiosè objecta, secundùm voluntatem suam faciat liberum. Nimia enim & violenta sui ipsius justificatio seu purgatio, tres in se defectus continet, primus est impatientia, quæ ita omnem Virum Religiosum deturpat, ut sine ipsius adminiculo parum aut nihil differat ab hominibus sæcularibus. 2dus defectus est amor sui nimius: qui enim ab objecta calumnia instantaneè purgari volunt & penitus innocentes evadere, id ordinariè ex hoc motivo faciunt, quòd plùs justò ament suum honorem, bonam famam, & opinionem apud homines, unde quando hæc ab aliquo vel in ungve læditur, statim exardescunt, in se ipsis corroduntur & affliguntur, & sic vellent etiam in instanti evincere innocentiam suã. 3tius defectus est appetitus vindictæ vel deliberata voluntas & desiderium, ut calumniator in instanti confundatur, puniatur, deprimatur, & evadat mendax. Sed subsistite devota Instituti Apostolici pectora! dissimulandum

dum paulisper, saltim per unum quadrantem : primò gratiæ sunt agendæ DEO, quòd super vos calumniam permiserit, 2dò humiliter supplicandum est DEO, ut det gratiam sustinendi permissam tentationem 3tiò tandem fieri potest accessus ad purgationem faciendam à calumnia objecta : cæterum valde modestè, svaviter, patienter, & humiliter, absq; omni furoris, impetuum, & passionum indomitarum nota. Si tamen ex una parte calumnia non erit gravis, & ex altera parte deerit periculum scandali, gloriosius est calumniam objectam pati, quàm se illâ violentè purgare seu justificare.

§ Tertius.

In quo proponitur tertius modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

TErtius Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est eligere aliquem unum Virum gravem, probatum, expertum, sedatum in omniq; regula-

ri observantia commendatum, ut mores vitamq; ipsius intuearis, intuendo imiteris, imitando proficias, quod si aliquod in vel ex eo assequi non poteris, ut eum humiliter adeas, consilium ejus & instructionem postules, eam in ipso effectu impleas. Hôc modô proficiebat Vir Apostolicus, totiusq; Vitæ Apostolicæ Restaurator integerrimus, Doctor Doctorum & Ordinis nostri S. Augustinus; nam quàm primùm à suis erroribus est conversus; nec daretur illi facultas frequentiùs adeundi B. Ambrosium ut ab eo disceret quæ cuperet, perrexit instinctu Divino ad Virum piissimum nomine Simplicianum, ejus consiliô, doctrinis, colloquiis spiritualibus, monitis & dogmatibus usus est, & quidquid in eo viderat sanctum & gloriosum, totum id sacrosanctè imitari decrevit, & ipso facto imitatus est. Eadem normâ proficere studuit (a) B. Antonius Magnus, quàmprimùm enim vitam sæcularem deseruit, abiit ad quendam senem, qui vitam solitariam à

O prima

(a) *In Vita ejusdem Antonij Magni.*

prima ætate secutus est, hunc cum vidisset Antonius, æmulatus est ad bonum. Et primo quidem incipiens etiam ipse in locis paululum à villa remotioribus, manebat: exinde autem si quem vigilantem in hoc studio compererat, procedens quærebat ut apis prudentissima. Nec ad habitaculum suū ante remeabat, nisi ejus quem cupiebat frueretur aspectibus, & sic tanquam munere mellis accepto, abibat ad sua, tali ibidem institutus exordio &c: &c: sic suam vitam instituens ab universis Fratribus puro diligebatur affectu, *& omnibus ad quos spirituali studio discendi pergebat, obediens, proprias singulorum gratias hauriebat. Hujus continentiam, jucunditatem illius, sectabatur istius lenitatem illius vigilias, alterius legendi æmulabatur industriam: istum jejunantem, illum humi quiescentem mirabatur. Alterius patientiam, alterius mansvetudinem prædicabat: omnium quoq; vicariam erga se retinens charitatem, atq; universis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur: ibi secum universa per*

tractans, omnium in se bona nitebatur.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, si vis ad normam Apostolorum & Virorum Apostolicorum proficere, non quære procul exempla, modos & industrias proficiendi, sed quemcunq; videris te meliorem & perfectiorem, hujus mores imitare, vitam sectare, ab uno hanc, ab altero alteram participando virtutem.

§ Quartus.

In quo proponitur 4tus modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus

QVartus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est liberè etiam nemine instante proprium confiteri peccatum coram omnibus, item pariter liberè coram omnibus, retractare id, quidquid antea errâsti, vel errare potuisti. Hic Modus seu industria proficiendi est propriissima Doctori Doctorum S. Augustino superiùs nominato, hic Vir Apostolicus, quid-

quid in juventute sua delinquere poterat, hoc totum publicè coram orbe toto, ore proprio & calamô confessus est, ut apertè testatur, Liber Confessionum ab ipso conscriptus; unde ut suos etiam Discipulos ad similem suorum defectuum confessionem excitaret, in Regula illis præscripta mandavit, ut his omnibus parceretur qui suum delictum liberè confiterentur, *qui ultrò confitetur parcatur illi;* pariter quidquid in scriptis à se Tomis & voluminibus reprehensibile advertit, hoc totum æquali dexteritate retractavit, ut testatur Liber Retractationũ ab illo descriptus. Ante S. Augustinum utrumq; hunc modum seu industriam proficiendi perfectissimè implevit S. Paulus Apostolus, ille enim & publicè confessus est persecutionem illam quam ante conversionem suam, moliebatur contra Ecclesiam, & publicè retractavit, quidquid antea contra veram fidem docuerat, ut constat ex Epistola ad Galatas ubi inquit: *audîsti enim conversationem meam aliquando in Iudaismo; quoni-*

quoniam supra modum persequebar Ecclesiam DEI, & expugnabam illam: & proficiebám in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo: abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero Matris meæ, & vocavit per gratiam suam ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & sangvini. Similia habet ad Corinthios, ubi inquit: *Ego sum minimus Apostolorum* (a) *qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI.*

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, si vis ad normã Apostolorum & Virorum Apostolicorum proficere consultissimũ est ut etiam nemine urgente, propria confitearis peccata coram omnibus, non tantùm Superioribus, Confessariis, Pænitentiariis, sed etiam coram familiaribus, amicis, domesticis, imò & coram toto orbe. Vtilitates hujus Confessionis publicæ, sunt sequentes; prima est eradicatio, extinctio, & abolitio superbiæ cuiq; homini planè congenitæ,

(a) 1. ad Corinth. Cap. 15.

quod enim homo nolit suum publicè confiteri delictum, oritur hoc plerumq; ex occulta superbia, dum ergo non attentis superbiæ stimulis, confitetur id, cujus se noscit esse reum, eò ipsò eradicat in se & extingvit frondes superbiæ. Secunda utilitas est humilitatis plantatio, ubi namq; eradicatur superbia, illuc succedit humilitatis excellentia. Tertia utilitas est proximi ædificatio, qui sicut erat scandalizatus delictô, ita emendabitur publica confessione delicti. Quarta est lucrũ Indulgentiarum, cõcessarũ his, qui in Capitulis culparũ, suos publicè confessi fuerint defectus. Pari modo consultissimum est ut pensatis circumstantiis retractes id, in quo antea sive advertenter errare potuisti, necessitas hujus retractationis nascitur exinde: qui legunt aliquid à suis Antecessoribus scriptum, ita huic plerumq; afficiuntur, ut totum penitus esse verum credant, & potiùs malint quamcunq; jacturam pati, quàm ab eo quod semel legerunt recedere. Si ergo aliquid dignum retractatione inveniatur, statim hoc

hoc ante mortis eventum retractandum est, ne posteri hâc doctrinâ fallantur, & ad interitum salutis deducantur. Cæterum hæc retractatio necessaria est non tantùm in his quæ scriptis vel typo mandantur, sed etiam in his quæ ordinario discursu ac colloquio proferuntur, & contingit frequentissimè, quod major sit pertinacia loquentium Discipulorum in àére, quàm Doctorum decidentium in Tomis. Doctor sive Magister prudens novit mutare sententiam, si novam attinget radicem veritatis oppositæ; pruritus pertinacium stulto rubore accensus, durior est chalybe ad ferendum aliud de rebus judicium, & retractandum proprii sensus argumentum. Pertinacia hæc sicut est DEO detestabilis, ita plurimis obnoxia malis, quæ illi melius explicare nolunt, qui suos nolendo retractare sensus, eadem mala experti sunt.

§. Quintus.

In quo proponitur quintus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

QVintus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus est proruptio seu excursio in actum alicujus virtutis, quando videmus proximum nostrum, actualiter peccantem. Taliter Nonnus Episcopus, qui dum videret Pelagiam publicam Antiochiæ meretricem, ita splendidè adornatam ut nihil videretur in ea, nisi aurum, margaritæ, & lapides pretiosi; exclamavit ad Episcopos sibi considentes: *Quid putatis dilectissimi, quantas horas consumpsit in cubiculo hæc mulier? lavans & componens se, cùm omni sollicitudine animi, & intentione ad spectaculum, ornans se ut corporali pulchritudini & ornatui nihil deesset, quatenus omnibus placeret, ne turpis videatur esse suis amatoribus, qui hodie sunt, & in crastino non sunt. Ergo & nos habentes Patrem in Cælis Omnipotentem, sponsum immortalem, donantem bene custodientibus promissiones, quæ habent divitias cælestes & æter-*

na præmia, quæ æstimari non possūt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descēderūt, quæ paravit DEUS diligentibus se: quid enim plura loquor? habētes repromissionem, faciem illam magnā, & splendidam & in æstimabilem Sponsi vultū, videre, quò, Cherubin respicere nō audēt, cur nō ornamꝰ, neq; detergimus sordes de miseris animabus nostris? sed dimittimus eas negligēter jacere.

His omnibus dictis ingressus cubiculum suum jactavit se in pavimentum, & faciem suam ad terram, percutiensq; pectus suum lachrymabatur dicens. Domine JESU CHRISTE ignosce mihi peccatori & indigno, unius diei ornatus meretricis, superavit ornatum animæ meæ. Quali vultu respiciam ad te? aut quibus sermonibus justificer in conspectu tuo? Non enim occultabo cor meum ante te quoniam prospicis secreta mea! Et væ mihi peccatori & indigno, quoniam ante Altare assisto & non offero pulchram animam qualem expetis à me! Illa enim meretrix promisit placere hominibꝰ & fecit, & ego promisi tibi facere & mentitus sum propter pigri-

gritiam meam. Nudus sum tam in Cælo quàm in terra, non adimplens præcepta mandatorum tuorum! Ergo non est mihi spes ex operibus bonis. sed spes mea in misericordia tua, quâ confido salvari. Hactenus S. Nonnus Episcopus; ex quo vides quàm gloriosè ex occasione alieni peccati profecerit? Ordinaria hæc est hominum consvetudo, quòd dum vident aliquem notabiliter delinquere, de eo male loquantur, vilipendant, & scandalizentur: S. Nonnus licet viderit Pelagiam actualiter nimio ornatu delinquentem, tamen de ea nihil malè locutus est, non vili pendit eandem, non postposuit, non confudit, sed potiùs ex ejus peccato virtutis & profectus occasionem accepit.

Hìc profectus ex occasione alieni peccati, nimirum dictæ meretricis quantum placuit DEO, constat ex eàdem Pelagia nam hæc tangente DEO, cor ipsius brevissimô intervallô occurrit ad pedes ejusdem Sancti Nonni, petit baptizari ab eo, totaliter conversa est, & postmodum ad tantam sanctitatem per-

venit, ut ipsum Nonnum Episcopum si non superavit, saltem adæquavit. Fuerunt illo tempore multi in Antiochia Episcopi, ab Episcopo Antiocheno congregati, quare precor ad nullum Episcopum hæc publica peccatrix pervenit baptizanda, nisi ad S. Nonnum. Ego censerem ideo, quia nullus ex Episcopis dum illa per medium transiret, ita gloriosam sumpsit occasionem proficiendi de peccato ipsius, sicut desumpsit Sanctus Nonnus Episcopus, ideo etiam DEUS Optimus Maximus compensando hunc profectum & lachrymas ipsius, consolatus est eum in conversione dictæ peccatricis.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, & tu nullam occasionem proficiendi leviter prætereas, nec tantum ex bono sed etiam ex malo proventum spiritualem tibi facias. Apostolus docet: *Scimus quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum:* omnia inquam non tantùm bona sed etiam mala quæcunq; quia scilicet non tantùm bonis sed etiam malis sciunt uti ad fructum & profectum

ctum animæ suæ. Quodlibet peccatum etiam alienum, malum est, DEO detestabile; quare si eidem peccato aliquem constanter indulgere videas, ex illius constantia seu potius obstinatione in peccato, tu accipias occasionem constantiæ in operibus Viro Religioso dignis, & sic brevi proficies.

§ Sextus.

In quo proponitur Sextus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

SExtus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est quôlibet annô eligere sibi unam virtutẽ ad exercendum, & unum vitium ad extirpandum, hunc modum proponit profundissimus & stupendus Asceta Canonicus Regularis Thomas à Kempis dicens: (a) *si omni anno unum vitium extirparemus, cito Viri perfecti essemus.* Multa enim vitia sunt ita cum alijs connexa, & quodam vinculo societatis unita, ut unum ex altero fluat, & uno deficiente alia deficiant: quare si quôlibet annô unum vitium extirpare curabis, pote-

(a) *Lib. 1. de Imit. C. 11.*

poteris incidere in tale, quod cum multis est connexum. Unde si illud unum principale & radicem cæterorum extirpabis, facilè & alia succidere poteris. Pariter multæ virtutes ita sunt connexæ cum alijs, ut una fluat ex alia & una inferat aliam, quare si quôlibet annô unam curabis virtutem acquirere, poteris incidere in talem, quæ erit connexa cum alijs virtutibus, & in qua erunt multæ aliæ inclusæ; unde si hanc unam acquires facilè cæteras assequeris, sic inter virtutes primatum, tenet charitas DEI & proximi juxta oraculum CHRISTI Domini. *In his duobus præceptis lex universa pendet & Prophetæ*, quare si hanc virtvtem unam totô annô curaveris, & tandem si illam perfectè acquisiveris & possederis, facilè cæteras conquires: jam autem inter vitia radix peccatorum superbia, juxta illud: *Initium omnis peccati superbia:* unde multi docent, quod etiam, primum peccatum Angelorum non aliud fuit, nisi superbia, quare si hoc diabolicum vitium cum diabolis natum

in

in te depresseris, sine difficultate reliqua superabis. Quando Rex aliquis in sua Republica, Senatu, vel Provincia habet multos discolos, rebelles & Majestati refractarios, (si prudens & cautus est) nunquam omnes simul intendit supprimere vel eradicare de Regno, sed quærit caput, radicem, & prodromum seditionis, si non invenit, paulatim hos & illos de quibus verisimiliorem habet suspicionem extirpat, postquam tandem incidat in caput seditionis & rebellionis, & illud eradicat, cæteri seditionis complices facilè eradicantur, & ipsi sponte sine capite deficiunt. Vir Apostolicus est Rex in suo Regno, Regnum autem ipsius anima est, hic ergo quando in hoc suo Regno habet, multos hostes insidiatores, bellumq; quotidianum ipsi inferentes, hos omnes si non potest simul, saltim paulatim eliminet & quærat primam radicem istorum hostium, si autem non invenit, tunc ad minimum quôlibet annô unum hostem nempè vitiū aliquod eradicet, & breviter poterit incidere in

caput vitiorum, quodsi inventum eradicabit, facilè cætera vitia extirpabuntur, & sine difficultate langvescent.

§ Septimus.

In quo proponitur Septimus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

SEptimus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est eligere sibi quolibet die aliquam virtutem particularem in praxi exercendam; & ad hoc exercitium dictæ virtutis se firmô propositô particulari obligare. Porro propositum est duplex aliud generale aliud particulare. Particulare est, quo proponimus aliquam particularem virtutem exercere vg. humilitatem, abstinentiam, vel aliquod vitium particulare vitare, vg, superbiam, vel gulam. *Propositum generale est*, quô proponimus generaliter omnia peccata vitare, vel virtutibus, incumbere in communi. Ad hoc ergo ut proficias, non tam juvant generalia proposita quàm particularia: potiùs ergo qualibet die forma propositum

ſitum particulare pro aliqua virtute in particulari exercenda, quàm generale; quod ſi illud hodie non implebis repetas illud cras, & tam diu proponas, quàm diu ad effectum non deduces. Hanc quotidianam particularium exercitationem ſvadet ſpecialiter Thomas à Kempis dum inquit: *Omni die renovare debemus*(a) *propoſitum noſtrū, & ad fervorem nos excitare, quaſi hodie primùm ad converſionem veniſſemus, atq; dicere! Adjuva me Domine DEUS in bono propoſito & Sancto ſervitio tuo, da mihi hodie perfectè incipere, quia nihil eſt quod hactenus feci.* Per hanc renovationem propoſitorum particularium proficiebat piæ memoriæ P. Franciſcus Chodovius S. Th: Doctor, Præpoſitus Prevorſcenſis, in Ordine Noſtro Vitæ integritate regiminis Cuſtodialis & Provincialis prudentiá probatiſſimus ut conſtat ex ejus Memoriali Quadrageſimali, quod ſibi ſecretè propria manu annotavit, verba illius ſunt hæc:

Frater Franciſce die Veneris per Quadrageſimam jejunabis in pane & aqua, & hoc

(a) *Lib. 5. de Imit. C. 19.*

hoc omnino serva pro tua gula, si vis evadere pœnas in altero sæculo, quæ debentur gulosis.

Frater Francisce ad diluenda peccata tua, & ad excitandam veram pœnitentiam, habebis devotionem ad Passionem CHRISTI Domini, aliquod Mysterium die Dominico, vel die Sabbativo recolligendo, vel etiam Mißam celebrando in honorem Passionis CHRISTI.

Frater Francisce Eleemosynam da pauperi, & obolum porrige indigenti in gratiam mortis CHRISTI Domini, qui seipsum dedit tibi, & hoc facias sine cunctatione.

Frater Francisce habeas diligentiam & monitum Spirituale ad dispositionem pro morte bona, & ad menstruum Patronum præsertim Sanctum Servatium, habe specialem devotionem, ut te servet à mala morte.

Frater Francisce moneris de brevi vita, vigila & esto robustus, saltim unam Mißam celebrare velis, die Sabbativo, ut te DEUS præservet ab omni periculo malæ mortis.

Frater Francisce sis hoc tempore Quadragesimali patiens, non effusus in verba ira-

cunda & jocosa &c: decet enim in mansvetudine conformare te ipsum, ad CHRISTI mansvetudinem, itaq; sis gratus omnibus in sermone.

Frater Francisce quid tibi prodest teipsu exponere censuris? solitariam vitam agas & evitabis omnem notam. Si autem non poteris propter tuum officium evadere conversationes aliorum, cautus esto in verbo & in actionibus tuis, ut tibi sit in præmium vitæ æternæ. Hactenus particularia proposita prædicti Viri Ordinis nostri. Similia proposita particularia solent facere & alii Viri Apostolici, profectus religiosi augmentum efficaciter curantes; sed illos, eorumq; singularia proposita impossibile est adducere, propter datam superius rationem.

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolicæ, si vis ad Normam, & Exemplar Apostolorum Virorumq; Apostolicorum proficere, facillimus efficacissimus, & utilissimus proficiendi modus est, qualibet die facere propositum particulare, alicujus virtutis particularis omnino exercendæ, vg die Dominico facias propositum cohibendi & cu-
stodi-

stodiendi visus, ut scilicet non spectes ea quæ prohibita, imò nec illa quæ ex se indifferentia sunt, maximè in actionibus principalioribus uti in celebratione Missæ, in assistentia Choro communi, in consessu ad mensam &c. Feriâ 2dâ facias propositum particulare cohibendi auditus, feriâ 3tiâ cohibendi gustus, feriâ 4tâ propositum cohibendi odoratus feriâ quintâ facias propositum cohibendi tactus, feriâ sextâ facias propositum meditandi de Passione CHRISTI Domini, die tandem Sabbativo facias propositum meditandi de Excellentiâ, meritis, & vita Beatissimæ Virginis MARIÆ. Postquam autem in his propositis ita te sufficienter exercueris, ut acquiras habitum virtutum præfatarum ex illis, tunc deinde ad alia proposita particularia facienda descendes, & ita sine ulla difficultate, & molestia proficies. Non est autem necesse ut hæc omnino facienda proponas quæ ego nominavi de sensibus mortificandis, sed illa tibi eliges, quæcũq; tibi magis placebunt, aut quæ tibi ex occasione alicujus festi, vel Meditati-

onum quotidianarum, occurrent, unde si vg. mane habebis Meditationem de superbia, facias propositum humilitatis exercendæ, vg. ministrandi Fratribus, pauperibus, subditis, vel aliquid simile, si audies Concionem de misericordia, facies propositum particulare dandæ hac die eleemosynæ, inserviendi infirmis, sublevandi hunc vel illum oppressum, sive incarceratum &c &c.

§ 8vus.

In quo proponitur 8vus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus.

OCtavus modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus, est occurrente aliquô Festô Principali Ordinis, vel etiam universalis Ecclesiæ, facere similiter aliquod propositum particulare, alicujus virtutis particularis illudq́; extendere usq; ad alterum subsequens festum principale, conservanado apud nos spiritûs fervorem eundem, quem habuimus in ipso festo principali, quô dictum propositum statuimus, & hoc svadet Thomas á Kempis (a) dicens: *Etiam pro tempo-*

(a) Libr: I. de Imit. C. 19. *rum*

rum congruentia, diversa placent exercitia, quia alia in festis, alia in feriatis magis sapiũt diebus, aliis indigemus tempore tentationis, & aliis tempore pacis & quietis: alia cum tristamur libet cogitare, & alia cum læti in Domino fuerimus. Circa principalia festa renovanda sunt, bona exercitia & Sanctorum suffragia frequentiùs imploranda. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc sæculo migraturi simus, & ad æternum festum perventuri. Ideoq; sollicitè præparare nos debemus devotis temporibus & devotius conversari atq; omnem observantiam strictiûs custodire, tanquam in brevi præmiũ laboris nostri à DEO *percepturi. Et si dilatum fuerit credamus nos minùs benè præparatos, atq; indignos tantæ adhuc gloriæ, quæ revelabitur in nobis tempore præfinito studeamus nos meliùs ad exitum præparare.*

Festa principalia tam universalis Ecclesiæ. quàm ipsius Ordinis, non hoc fine sunt instituta, ut in illis vacemus otio, indulgeamus compotationibus, vel conviciis, sed potiùs hoc fine, ut in illis ampliùs, & amplius proficerè studeamus, Sanctosq; imitari curemus. Sæ-

cularium hominum genius est, in festis solennioribus laxiùs convivari splendidiùs ornari, dissolutiùs recreari; religiosarum autem mentium hæc debet esse pia institutio, ut dictis temporibus magis devoti, magis abstinentes, magis modesti, humiles & sobrii, sint. Excitat nos ad hoc S. Bernardus Abbas dicens (a) *Non ignoratis Fratres sæcularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent, & quantò fuerit solemnitas clarior, tantò splendidiùs epulentur. Quid ergo? nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea jam paratum est convivium nostrum Fratres, jam cocta sunt omnia & epulandi tempus advenit. Dignum est enim, ut priùs anima satietur, quod hæc portio sine dubitatione, & sinè cõparatione sit potior, præsertim cùm Sanctorum solemnitates, manifestum sit ad animas magis, quàm ad corpora pertinere, & quæ animarum sunt, animæ plùs acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ. Quibus propterea quoq; Sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant* ani-

(a) *Serm: 1. in festo Patronorũ Regni Sveciæ.*

animarum bona, & plus earum refectionibus delectantur, quoniam & ipsi nobis similes fuere passibiles & ipsi peregrinationis hujus, & exilii miserabilis deploravere molestias, & ipsi grave hujus corporis onus, & tumultus sæculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaq; dubium, quin gratior eis sit, & multo acceptabilior illa festivitas quæ intenditur epulis animarum, quàm sit ea, quæ celebratur à sæcularibus curam carnis perficientibus in desideriis voluptatum.

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolcæ occurrit festum principale Ordinis, aut universalis Ecclesiæ, non intermittas hanc occasiionem proficiendi sed quantùm fieri potest, virtutum exercitia de festo in festum proponas, ut de festo in festum proficias, & ita te per hunc profectum disponas, quasi hodie de hoc sæculo migraturus sis. Nihil enim tibi proderit, etiam solennissima Festorum celebratio, si illam tantum quo ad exteriorem pompam & ritum absolvere studueris, de interiori autem festivitate mentis & anima nihil cogitaveris. Hæc est optima festorum celebratio, si ex illo-

rum recordatione excitemur ad profe-ctum salutarem in nobis augendum.

§ 9nus.

In quo proponitur nonus, decimus, undecimus, decimus tertius, & decimus quartus modus proficiendi, ex citato Thoma à Kempis Canonico Regulari desumptus.

NOnus modus proficiendi est, illud vitium principaliter eradicare ad quod se aliquis maximè propensum, inclinatum, & proclivem esse cognoscit, & sentit, vel multoties experitur: vg. cognoscit & experitur aliquis se maximè propensum, esse ad superbiam, & frequenter experitur quod in hoc peccatū facilè incidat, tunc pro principali profectu hoc sibi eligat, ut continuò eradicet exstirpet, & eliminet de sua conscientia radices superbiæ. Ad eūdē modū proficiēdi spectat hoc, ut principaliter illud bonū illāq; virtutem in nobis plātare studeamus quâ maximè indigemus ad faciliùs & tutius obtinendam animæ nostræ salutem.

tem. Modũ istum proficiendi tradit, citatus toties Thomas à kempis Canonicus Regularis, lib: 1. de imitatione CHRISTI Cap: 25. ubi inquit. *Duo specialiter ad magnam emendationem* (consequenter & ad profectum) *juvant; videlicet subtrahere se violenter ad quod natura vitiosè inclinatur, & ferventer instare pro bono, quô ampliùs quis indiget.*

Decimus modus proficiendi est statim ab initio, etiam in modicis violentiam sibi ipsi inferre, & hunc modũ tradit idem Thomas à kempis lib: 1. Cap. 11. dum inquit: *si modicam violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cùm levitate & gaudio. Grave est assueta dimittere, sed gravius est cõtra propriam voluntatem ire, sed si nõ vincis parva & levia, quando superabis difficiliora. Resiste in principio inclinationi tuæ, & malã dedisce consvetudinem, ne certè paulatim ad majorem te ducat difficultatem.*

Undecimus modus proficiendi est intétè & devotè exercere se in Sãctissima vita & Passione Domini Nostri IESU CHRISTI, & hunc modũ proponit idem Thomas

 à kem-

à kempis lib: 1. de Imit: CHRISTI Cap: 25. ubi inquit: *Memor esto arrepti propositi & imaginem tibi propone Crucifixi. Bene verecundari potes, inspectâ vitâ IESV CHRISTI, quia necdum magis illi te conformare studuisti licet diu in via DEI fuisti. Religiosus qui se intentè & devotè in Sanctissima vita & Passione Domini exercet; omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet, nec opus est, ut extra IESVM aliquid melius quærat. O si IESVS Crucifixus in cor nostrum veniret, quàm cito & sufficienter docti essemus.*

Duodecimus modus proficiẽdi est gerere se in hoc mundo ad instar peregrini, & hic modus traditur ab eodem Thoma àkempis lib: 1. Cap: 17. *Si vis debitè stare & proficere, teneas te tanquam exulem peregrinum super terram.*

Decimustertius modus proficiendi est stultum fieri propter CHRISTUM, ita docet idem Vir Aplicus lib: 1. Cap: 17. *Oportet te stultum fieri, si vis religiosam ducere vitam.*

Decimus quartus modus proficiendi est in silentio & quiete contineri. Ita

docet

docet idem lib: 1. de Imit CHRISTI, Cap: 20. ubi inquit: *In silentio & quiete proficit anima devota, & discit abscondita Scripturarum. Si invenit fluenta lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavat & mundet: ut conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longiùs ab omni sæculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit à notis & amicis approximabit illi DEUS cum Angelis sanctis. Meliùs est latere & sui curam agere, quàm se neglecto signa facere. Laudabile est homini religioso, rarò foras ire fugere videri, nolle etiam homines videre.* Hæc & alia similia multò plura habet citatus Author sed quia enumerare singula est difficile, ideo quilibet avidus proficiendi Apostolicè, ipse sibi poterit modos & industrias profectus Apostolici invenire ad normam eorum quos jam hactenus proposuimus.

§ 10mus.

In quo proponitur 15tus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus

DEcimus quintus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desũptus est fervens

vens excitatio, urgens provocatio & fortis animatio sui ipsius ad proficiēdū, quàm primum aliquis viderit se in aliquo defi- cere, vel jam defecisse. Taliter se ipsū animabat, & urgētissimè excitabat ille pius Vir, de quo Henricus Suso inquit: *Novi ego quendam Fratrem professione Dominicanum, qui multis atq; crebris importunisq; tentationum fluctibus non nihil repulsus atq; retro rejectus, & (ut ipsi videbatur) revera strenuitate ac intima animi devotione audatus, intra se ipsum se recipere DEOq; dicere solitus fuit: Quidnam mihi accidit Domine DEUS? Eheu quàm imprudens & nescius deorsum tetendi, age jam anima mea totis viribus! hilariter operam demus novis cumulandis meritis, vetera jam prorsus evanuerunt. Atq; ita rursus incipiebat sibi ipsi subtrahere, corpus castigare, hominum consortia devitare, gravitatem ac maturitatē quandam præseferre, se ipsum custodire, novas effingere preces, nova assumere, exercitia, viasq; omnes unde sibi excidisse videbatur instaurare ac facere, atq; in hunc modum sese per noctes atq; dies excitare, donec Divino quoq; fervore, ac intima devotione*

rursus

rursus inflammaretur, ac incalesceret. Et plerumque posteriora exercitia, longè felicius illi succedebant, & cumulatiorem gratiam conciliabant quam quævis præcedentia. Interim sui cordis meditatione sepeliebat veterē hominem, perinde acsi nunquam fuisset, multasque tunc invenit sese custodiendi vias, quas nunquam cogitaverat, sicque se ipso semper prudentior efficiebatur. Ac deinde iterum lapsus, rursus ut ante, denuo inchoabat idque fortassis innumeris illi evenit vicibus.

Candide Imitator sive Professor Vitæ Apostolicæ, quod hic Vir piissimus faciebat, idem tu facere æmuleris, accende te ipsum, excita te ipsum, exhortare, & anima quotidie te ipsum, & dic: Quid tibi anima mea? quando primam vocationem Divinam arripuimus quodam fervore interno ardebamus, devotione æstuabamus desideriis variarum virtutū, propositorū heroicorū intēsione anhelabamus, & quâdam flammâ Divini amoris urebamur, ita ut voluissemus omné possibilē apprehendere & exequi perfectionem, nunc autem satis notabiliter defecimus, frigore tepiditatis comprimimur

acediœ glacie constringimur! defecerũt in nobis illa ejaculatoria suspiria serviẽdi Deo, defecerunt assumptæ & reassumptæ devotiones privatæ, defecerũt illæ æmulationes surgendi ad matutinum priùs præ omnibus, evanuit fervor meditandi, sedendi in cella, silentium servandi, abstinentiam juxta Regulæ textum implẽdi, mortificandi, humiliandi &c &c, unô verbô ô anima mea defecit in nobis totus ille fervor Spiritûs, quem inprimo ingressu ad Religionem habuimus, forteq; modò tepidiores sumus Religiosi, quam fuimus sæculares. Eja ergo ô ánima mea redeamus ad primum fervorem nostrum! revertamur ad priorem devotionem, vigilias, meditationes, & alia virtutum exercitia, accingamus nos ad nova æmulandi merita, ut dicere in Domino valeamus: *Ecce nova facio omnia: dixi nunc cæpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.* His & aliis similibus stimulis, si te ipsum quotidie excitaveris impossibile est ut aliquid non proficias, ipsa enim hæc excitatio, animatio, & provocatio sui ipsius ad profectum, habet quan-
dam

dam rationem profectûs sicut provocatio ad bellandum, jam habet quandam rationem belli.

§ IImus.

In quo proponitur 16tus Modus proficiendi, ex Viris Apostolicis desumptus.

DEcimus sextus Modus proficiendi ex Viris Apostolicis desumptus est hic, ut Vir Religiosus curet frequenter redire ad se ipsum, hoc est si aliquantum distractus est negotiis externis, ut se, ad se ipsum revocet, componat, & intra se cōtineat Quomodò autem Vir Religiosus negotiis sæculi, vel etiam Religionis distractus, ad se redire possit? sufficientissimè, id docet & proponit ferventissimus Asceta Polonus Gaspar Drużbicius (a) dum inquit. Itaq; alias inter industrias, quibus animus circa salutem aliorum laborantis operarii ad se revocari, vel apud se contineri poterit, hæc erit una, ut sub prima singulorum mensium auspicia, curis omnibus abjectis, uni sibi, DEOq; vacet diem integrū

(a) *Libr: de sublimitate perfection: religiosæ Discursu 39 f: 147*

unum

unum; plures in eo horas orationi, disquisitionique sibi tribuens, progressuiq; virtutum dijudicandò, & curis seu susceptis seu suscipiendis, moderandis opportunè destinans. Sin autem, quid illo tempore maximè spectandum sit, quærat quis? quatuor potissimum reor. Primum, videndum, ut quam firmissima, solidæ summæq; perfectionis fundaméta jaciantur, iisq; prospiciendum, ne quâ tentationis, vi importunitateq; concutiãtur; qua in re erit recurrendum ad perfectam IESU CHRISTI imitationem, advocationis & instituti nostri partes sollicitè explendas, quàm procul absimus ab iis, qui in hoc vitæ genere nobis prævivere, ad omnium rerum contemptum, amorem Crucis, infamiarum, humiliationem, contemptumq; nostri, ad superiorum vel nolentium vel etiam odientium filialem amorem, integramq; in eos fiduciam, credendo & certissimè fidendo nos à DEO per ipsos gubernari, falli obediendo non posse, nihil propensionum nostrarum intimarum illos celando, ad ipsorum notitiam deferri a-

aman-

amando, neminem ut ſuſpectum, ut delatorem fugiendo. Huc faciunt inſuper, puram DEI gloriam quærere, & ſemetipſum in nullo reſpicere; ſed annihilare & oblivisci. Amorem omnem proprium expurgare, in odium ſui faſtidiumq́; vertere, vile nihil ut ducat, quô DEI gloria ampliatur, hauriat avidiſſimè contemptus omnes, & probra, ut exaltetur vel in puncto DEUS. *Secundum* inveſtigandæ ſunt deteſtandæq́; radices imperfectionum, ſcriptoq́; ne diffluant & impugnentur accuratiùs adnotandæ. Tales ſunt propenſiones ad gulam, ad certa ciborum & potûs genera, ad iram, impatientiam, murmurationem, invidiam, timorem, curam ſui, expectationem quid ſtatuendum ſit à Majoribus, de nobis, de aliis, Item habitus vitioſi uſu roborati, tentationes nobis familiares, & crebrò recurſantes, occaſiones Spiritum reſtingventes, quæ oriuntur à loco, perſonis, officiis, negotiis &c. &c.

Huc ſpectant etiam perſvaſiones quædam Religioſo indignæ, ut gratiæ

aucupatio, desiderium placendi hominibus, vindicatio sui, axiomata politica &c: persvasio illa de te ipso, quòd possis te ipsô contentus sine aliena gratia favoreq; vivere &c: quæ omnia videndum est quò ducant, quibus nitantur fundamentis, & quam stabilienda sunt opposita. *Tertium* diligenter spectandum est, qualis sit, qualisq; esse debeat rerum ad spiritum, perfectionem Instituti propriam tractatio? quando? quomodo? quàm perfectè per agenda? ergo videndum quomodo te habeas in meditatione? in præparatione meditationis? in observatione propositorum in ea factorum, luminum, convictionumq; habitarum in oratione vocali, Horis Canonicis, utroq; examine, usu Sacramentorum, colloquiis, cum domesticis & externis, modestia exteriore, custodia sensuum, lectione Spirituali, ordinis domestici temporumq; observatione, votorum spiritusq; diurna, hebdomadaria, menstrua, annua instauratione, rectificatione, renovationeq; intentionis heroi-

co

co conatu. Huc quoq; pertinet videre, quam curam carnis affligendæ habeas! exiguam? nullam? nimiam?

Vide quomodo te habeas in frenatione lingvæ à sermonibus extraordinariis ludicris judicatoriis, victu, vestitu, supellectili, cubiculo, lecto, recreationibus, castigatione corporis spontanea, quæ fit per durum lectum, vigilias moderatas, abstinentiam à cibo. potu, ciliciis, verbere, tolerantia æstûs, frigoris; aliarumquè injuriarum cæli &c: *Quintum* dijudicanda sunt ministeria, functiones, occupationesq; quo fructu, conatu, spiritu obeantur quo, ve meliore possint? an ita ut DEO dignū ut Regulis, Superioribus, Communitati placitum; propositumq; ? an per transennam & perfunctoriè? Nihil hîc indiscussum maneat, sive domesticos spectet, sive externos. Constet tibi ratio negotii tui, otiiq; agasne omnia in tempore, ordine, methodo, ac casu & subitò, & absq; fine ac scopo? habeasne fures temporum, confabulatores socios? an aliquid commodi, so-

latiiq; derives in te ipſum ex occaſionibus tuis? teq; magis quàm DEUM quæras & ſpectes &c: ſic age Religiosè, & hîc maximè pertinax eſto, nec te ulla ratione, ſpe, dilatione, faſtidiô, deſperatione, incommoditate, ab hoc ſtudio abduci ſine. Etiam frigidè ſervatum, altiùs te, quàm ſperas, efferet. Hactenus citatus Auctor. Hoc ipſum videtur docere Thomas à Kempis dicens: (a) *Exteriora noſtra & interiora pariter nobis ſcrutanda ſunt & ordinanda, quia utraq; expediūt ad profectū.*

Ultra hæc omnia decimo ſeptimus modus proficiendi addi poteſt hic nimirum emittere votum vel ſaltem propoſitum efficiēdi ſemper id, quidquid perfectius eſſe intelligemus & cognoſcemus. Tale votum emiſit Sancta Tereſſia Monialium de monte Carmelo Mater & ampliatrix feliciſſima, quantùm autem ex hoc voto profecerit, legenti vitam & miracula ejus ſatis abundè conſtare poteſt. Arduum quidem & difficile eſt votum iſtud, ſed cum illud fragilis & continuò infirma Virgo imple-

(a) *Lib. 1. de Imit: Cap. 19.*

vit

vit, quomodo illud Viri religiosi perfectionis heroicæ avidi, ex ipsoq; sexu (supposità gratia DEI) adminiculum quoddam fortitudinis habentes, abhorrebunt?

Ad extremum modus proficiendi, est exactissima & intensissima sollicitudo, magis curare, promovere, defendere, & augere bonum commune, quàm proprium. Et hunc modum proficiendi expressè tradit Vir Apostolicus Divinissimus Augustinus in sua Regula dicens: *Et ideo quantò ampliùs rem communẽ quàm propria vestra curaveritis, tantò ampliùs profecisse vos noveritis.*

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, si aliquis modus proficiendi, specialiter hic est propriissimus Apostolis, Viris Apostolicis, & omnibus tam in communi quàm in particulari Viris religiosis; hi enim cum se in actuali professione voto Solenni Paupertatis obstringant, eò ipsò omnem proprietatis curam ejurant & resignant, consequenter ex eodem voto incumbit illis, ut conti-

continuò rem bonumq; commune magis curent quàm proprium, imò simpliciter nihil proprium curare licitè possunt, sed quidquid curare voluerint, totum & solum bonum commune curare sine ulla exceptione tenentur. Proinde si & tu vis Apostolos Virosq; Apostolicos imitari, tuæ professioni satisfacere & Apostolicè proficere, totissima cura tua debet esse ut simpliciter absolutè rem communem bonumq; commune efficacissimè cures.

PVNCTVM III.

In quo proponuntur Gradus & signa profectûs.

VT faciliùs quisq; cognoscere possit quantum & in quo profecerit, visum est mihi annectere hîc gradus & signa profectûs ex Venerabili Nicolao Lancicio. Quoniam autem gradus prædicti, & præsertim signa plura sunt, ideo singulos gradus cum suis signis, singulis Paragraphis referemus, proinde sit.

§ Primus.

In quo proponitur Primus gradus profectus communis, & signa ejusdem.

PRofectus duplex cogitari potest alius communis, alius non communis sed rarus & specialis. Profectus cōmunis est ille, ad quem exercendum omnes obligantur, & quem communiter exercent aliquando etiam imperfecti & modo primum proficientes ac incipientes. Profectus non communis seu rarus est ille, ad quem non obligantur omnes & qui non exercetur ab imperfectis sed ab illis solis, qui sunt in via DEI perfecti aut perfectissimi. Hic ergo dabimus signa Imo communis, 2do rari profectus: Primus itaq; gradus profectus cōmunis, est diminutio peccatorū præsertim venialium. Signa autem profectûs in primo gradu, consistente in diminutione peccatorum venialium, juxta citatum Lancicium sunt septemdecem. *Imum* est si homo nunquam cum plena deliberatione offendat DEUM. *Secundum*

si non

si nunquam etiam indeliberaté gravè peccatum veniale committat. 3tium si homo nec leviter venialiter peccet, contra multas species venialium 4tum si nec contra paucas species venialium, sæpe delinquat sed rarissimè. 5tum signum profectus in gradu 1mo est, si hæc etiã levia quæ periculosa sũt nunquã cõmittat, uti sunt cogitationes impuræ, aspectus curiosi fœminarũ, ac formosarum, & turpium picturarum, lectiones curiosæ rerum fædarum, à quibus est facilis ad graviora progressus. 6tum si homo nunquam in DEI cultu etiam venialiter peccat, scilicet in oratione, meditationibus, Officio Divino, Sacro audiendo, vel dicendo, administratione vel susceptione Sacramẽtorum, & aliis functionibus sacris Ecclesiasticis cum communibus aliis, cum propriis Parochorum. 7mum Profectûs in primo gradu signum, si homo etiam in rebus aliis & materiis, nunquam talia venialia cõmittit, etiam levia, quæ valde dedecent maturum

& gravem Virum; uti sunt mendacia, detractiones malevolæ, vitia gulæ, per excessum frequentem in cibo & potu, præsertim notabilem vel sanitati noxium; contentiones, & rixæ. *8vum* si exterius nullum veniale cõmittit. *9num* si quolibet annô saltem unum aliquod veniale minuat. *10mum* si homo minimum, peccatum veniale, maximi & pluris quam antea facit, & ejus emendationem non differt, & quodvis tanquam gravissimum vitat & deflet commissum, non quidem in Stoicorum opinione reprobata à Sacra Scriptura & Sanctis Patribus, & Philosophis moralibus, non facientium discrimen inter peccata, acsi essent omnia æqualia & paria, sed in sensu Sanctorum & perfectioni eximiæ studentium, qui magis vitabant & deflebant venialia parva, quàm soleant mali & tepidi gravia, & ita à minimis abhorrebant acsi essent gravissima, non quòd ea non crederent gravibus longè esse minora, nec quod putarent amicitiã cum Deo (à solis mortalibus peccatis dissolvi solitam)

dissolventia, sed quia ut ait S. Hieronymus: *Tanto faciliùs abstinemus à quocunq; delicto, quantò illud magis metuimus: nec citò ad majora progreditur, qui parva formidat.* 11mum Profectus in primo gradu signum est, si etiam peccata materialia cavet, uti sunt ea quæ culpæ non sunt, ob defectum solum inculpabilem considerationis, seu ut Theologi loquuntur ob defectum advertentiæ rationis, & ea quæ vocantur imperfectiones seu defectus; uti sunt distractiones involuntariæ, & indeliberatæ, & prorsus inculpabiles, agitatio digitorum inanis, seu ut aliqui appellant tympanizatio, masticatio festucæ, extremi cinguli aut rosarioli, vel benedicti numismatis, rosarii appensi, rotatio, digitorum singulorum ad strepitum edendum instituta tractio: capitis non necessarius motus, manuum in familiari colloquio gesticulatio: ex primo motu verba iracundè prolata & his similia, quæ tamen & Philolosophi morales, & Sancti Magni olim improbabant: uti sunt in sedendo ge-

nu supra genu ponere, quod in Sancto Arsenio duorum antea Filiorum Imperatoris Magistro, improbabant Patres teste Metaphraste in ejus vita & Sanctus Basilius & S. Vincentius damnant, & his similia.

12mum Signum profectûs est, si quò ad ista quodammodò (moraliter loquendo) simus velut impeccabiles, id est ægrè, difficulter, labamur in ea, in quæ nostra fragilitas, & vitæ hujus cõditio, post peccatum, naturam nostram vitiatam pertrahit, etiam quodammodo perfectissimos, sed quasi nolentes. 13*tium* valde magnum est signum insignis profectûs, quo ad diminutionem malorum, si quis etiam speciem & signum peccati fugiat, & deploret. 14*tũ* si homo in peccatum lapsus, statim culpam aboleat dolore, amore DEI, actibus contrariis, & cessatione à similibus peccatis. *15tum* Profectûs signum est, si homo etiam Purgatorii obligationem, diminuit per illa opera, per quæ in Sancta Ecclesia diminuũtur in toto vel in parte. Illa autem o-

pera

pera per quæ diminuuntur pænæ Purgatorii, sunt vg. Confessiones, & Communiones factæ tempore Indulgentiæ plenariæ, in aliqua Ecclesia concessæ, sunt & alia plura quæ hic referre non vacat. *16tum* Profectûs signum & quidem magnum est, si quis non tantùm se à peccatis (modis supra dictis) purgâris, sed ardenter optet; & conetur modis quibus potest, alios quoq; ab illis esse vacuos. *17mum* Signum profectûs in extirpatione ac diminutione vitiorum est, si quis alienos defectûs non indignabundô animô, sed plena commiseratione videat.

§. Secundus.

In quo proponitur secundus gradus profectûs communis & signa ejusdem.

SEcundus gradus profectûs communis est refrenatio inordinatarum passionum. Signa verò profectûs in secundo gradu, seu refrenationis inordinatarum passionum sunt septem. *1mum signum* profectus in secundo gradu quò

ad refrenandas passiones est, si passiones naturales etsi vehementer nos infestent, nunquam nos ad offendendum DEUM, vel proximum perducant. *2dum* si non sint passiones vel vehementes ut antea, sed minutiores, quæ etsi non ad peccatum, tamen in peccati periculum adducunt, propter nostri perturbationem aut incitationem: quæ si vehemens sit, etiam circa res exiguas & viles, valde obest profectui, nisi comprimatur statim. *3tium* signum profectûs in frenandis passionibus, si etiam non vehementes, raræ sint & non frequenter involvant nos & imò ne quidem inquietent, sed quasi speculativè exurgant, nulla in nobis relicta perturbatione. *4tum* si passionibus naturalibus, quæ alias nos ad mala disponebant vel inclinabant, nunc semper ad bona tantùm utamur, & iis veluti gladiô Goliath naturæ vitiatæ, Diabolo reddamur terribiles. *5tum* si rectæ rationis ductu, non passionis, hoc est mero affectus naturalis impulsu, ad res non malas sed indifferenter feramur,

uti

uti sunt conversationes cum hoc, & non cum illo: mansio hoc in loco non illo; occupatio circa hoc, non illud. *6tum* si nunc minùs nos perturbent passiones, quàm solerent antea, initiò conversationis nostræ. *7mum* si exurgentibus contra rationem affectibus, statim & generosiùs, quàm antea resistitur, & homo seipsum vincit, signum est magnum profectûs.

§ Tertius.

In quo proponitur Tertius gradus profectûs communis, & signa ejusdem.

TErtius gradus profectûs Communis, est victoria tentationum. Signa profectûs in tertio gradu sunt decem. *1mum* Si tentationes non pertrahant nos, ad peccatum. *2dum* Signum profectûs in vincendis tentationibus est, si nos nec ad periculum peccati proximum inducant. *3tium* Si non perturbent vehementer, & inquietent animum, & si rejectæ sunt strenuè. *4tum* Si tentationes non oriantur sæpe ex

nostra culpa recente vel incuria, sed ex DEI nos probantis permissione. *5tum* Si non oriantur etiam accedente causa, vel occasione vehementi & gravi, naturaliter apta ad commovendum hominem. *6tum* Si eædē & similes præteritis, quæ nos invadebant initiò nostræ conversionis, nunc superentur citiùs, faciliùs, & minùs, sentiantur. *7mum* Si veteres tentationes minuantur, vel cessent ex toto. *8vum* Si novæ, quæ in iisdem vel paucioribus occasionibus antea non exurgebant, etiam nunc non sentiantur. *9num* Si animus nunc magis abhorreat à tentationibus ut perductivis ad peccatum, quàm antea. *10mum* Si nunc sit major sensuum mentisq; custodia, ex cujus neglectu multæ tentationes exurgunt.

§ Quartus.

In quo proponitur Quartus gradus profectûs Communis, & signa ejusdem profectûs.

Quar-

QVartus gradus profectûs Communis, est extirpatio pravorum habituum. Signa profectûs in 4to gradu seu extirpationis pravorum habituum juxta eundem Lancicium, sunt quinq; 1mum. Signum profectûs quo ad extirpationem pravorum habituum est, si nunc sentimus inclinationem minorem ad peccata, acquisitam olim per actus pravos. 2dum, Si nunc positivam difficultatem sentimus ad eosdem. 3tium Si nunc sentimus majorem facilitatem ad resistendum pravis tentationibus, negando consensum. 4tum. Si quasi quãdam connaturalem sentimus nauseam omnium actuum pravorum, & imperfectionum, ad quas per habitum inclinabamur antea, & è contrario ardens desiderium & affectum efficacem ad executionē boni contrarii, pravis habitibus statim, ac per primam & simplicem apprehensionem nobis repraesentatur cogitatio boni vel mali. 5tum. Si quis sentiat quandam moralem impossibilitatem ad omnes actus pravos, talem qualis erat in Sancto Joseph sollicitato à Domina:

Quomodo

Quomodo (inquit) *poßum hoc facere, & peccare in DEUM meum?* & in Apostolo? *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, &c. neq; creatura alia poterit nos separare à charitate* CHRISTI.

§ Quintus.

In quo proponitur Quintus gradus profectûs communis, & signa ejusdem.

QVintus gradus profectûs communis, est acquisitio & incrementum bonorum operum. Signa profectûs in 5to gradu sunt quinq; juxta citatum Auctorem. 1*mum Signum* profectûs quò ad incremētũ bonorum operum est hoc, si fiant omnia, non ex consvetudine, sed ob finem supernaturalem prævisum. 2*dum* si fiant sine admixtione peccati corrumpentis meritum. 3*tium* Si fiant sine admixtione peccati etiam non corrumpentis meritum (uti corrumpit voluntaria distractio orationē) sed adjungentis se operi meritorio, quasi extrinsecè: 4*tum* si fiant tam accuratè, uti fierent spectante eo: cui natu-

ra placere cuperet. 5tum. si omnia fiant diligentiùs quam antea & perfectiùs.

§. Sextus.

In quo proponitur Sextus gradus profectûs communis, & signa ejusdem.

SExtus gradus profectûs communis, est incrementum bonorum habituum signa profectus communis in sexto gradu sunt quindecim. 1mum Signum profectûs in sexto gradu seu incrementi bonorum habituum est, si promptiùs & faciliùs fiant opera bona, sive imperata, sive ea quæ vocantur ex supererogatione, quàm antea. 2dum. si non tantùm promptiùs fiant, sed cum minore repugnantia amoris proprij, vel naturæ vitiatæ, & sine quadam violentia, & quasi coäctione naturæ. 3tium si fiant cum quodam gustu ac delectatione majore, quàm antea. 4tum si fiant cum fervore & actuum intensione majore, quàm antea. 5tum si fiant modis dictis magis constanter, eti-

am tempore adversitatum & contradictionum, & aliorum motivorum, sua specie & gustu avocantium à bono: *6tum* si facilius fiant modis supradictis: hoc est celerrimè, statim ad primam simplicem apprehẽsionem & cogitationem, quasi connaturaliter sine præviis motivis aptis, ad excitandam voluntatem ad ea peragenda. *7mum* si quis sentiat se vehementer dispositum ad facienda omnia, nulla re excepta (præter solum peccatum) quæcunq; ei imponentur, etsi essent difficilima, & eũ maximè confusura coram alijs, imò talia expetat. Et præterea si veluti quandam impossibilitatem moralem in se experiatur, ad contraria habitibus virtutũ vitia, signum est habituum in gradu altissimo plantatorum. *8vum* si quis non tantùm in se ita ut dictum est profecerit, sed etiam tales alios effecerit suô studio, exemplis, monitisq; *9num* certissimum est & ferè omnium maximum eximii in habitibus virtutum incrementi & profectûs signum, totalis avulsio affectûs ab omnibus rebus

mundanis, quæ sunt in amoribus mundi sectatorũ. *10mum* Signum profectûs in habitib9 virtutũ quos appellamus cordis puritatem assignat Abbas Cheræmon apud Cassianum. *Quantũ* (inquit) *quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in cordis puritate proficiet: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram* per cordis autem puritaté apud Cassianũ, vitæ perfectio ex aggregatione omnium virtutum conflatâ intelligitur pluribus in locis, sed meliùs asserit Sanctus Basilius: *Sedata* (inquit) *animi & requieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum. 11mum* Signum profectûs est, si DEI servus ita privatim & nullo spectante res ad DEI obsequiũ spectãtes, accuratè & fervẽter & integrè expedit ac si expediret superiore suo cuncta cernente. *12mũ* Signum magni profectûs est, si quis modis supradictis omnes temporis partes, expendat in actionibus meritoriis vitæ æternæ. *13tium* profectûs signum in virtutum studio exercitatis, hoc statuit S. Teressia *ut* (inquit) *sciatis utrum profectum aliquem*

fece-

feceritis. hoc signum erit, si nimirum una quæq; vestrûm, se omnium pessimam esse credat, & ex ejus operibus liquidò colligi queat, eam se ut talem dicere, idq; ad aliorum profectum, & commodum. 14tum profectûs signum ponit S. Bernardus in Tractatu de Passione Domini. *Nondum* (inquit) *ad summitatem illi pervenerunt, qui linguam suam à multiplicitate verborum, nesciunt sive nolunt refrenare. Tantoq; altiùs se quisq; noverit in virtutum gradibus ascendisse, quantò minùs humanis colloquiis delectatur: nisi fortè ejusmodì hominum, in quibus ipse DEUS loquitur, & per quos verbum DEI auditur* (uti fit in spiritualibus colloquiis, quæ instituuntur cum Superioribus, Patribus Spiritualibus, ac Confessariis) *Tales enim non audiuntur propter se sed propter DEUM, qui & habitat & loquitur in ipsis; & cum talibus loquendo, à nostris sæpe Domino cóòperante, dubietatibus expedimur, à pravis abducimur, & in bono proposito confirmamur. 15tum* profectûs signum est acquisitum per magnam sui victoriam passionum dominium quibus quis an-

tea valde exagitabatur, & vincebatur. Hactenus de gradibus & signis profe-ctus communis: ultra quæ, adferenda sunt rariora signa, magni & rarioris profectûs.

§ Septimus.

In quo proponuntur signa magni, & rari seu Apostolici profectûs in virtutibus.

PEr magnum & rarum profectum, intelligo profectum Apostolicum; proinde quæcunq; dabuntur signa magni & rari profectûs illa omnia erunt etiam signa profectûs Apostolici. Signa ergo magni & rari in virtutibus profectûs juxta citatum Lancicium sunt hæc: rarus in peccata venialia lapsus, maximus horror peccatorum, & conatus minimas etiam imperfectiones vitandi, conjunctus cum eorum fuga: perpetuus feruor in ordinariis operibus diligentissimè peragendis, exacta patientia in adversitatibus carens etiam primis motibus iræ, vel indignationis,

aut

aut aversionis ab Auctoribus, & cooperatoribus adversitatum magnarum, & toleratu difficilium: tantus amor crucis, & omnium humiliationum, ac adversitatum, & injuriarum personalium, ut dum vel reipsa ingruunt, vel tanquam præteritæ, aut futuræ repræsentantur memoriæ, statim sine repugnãtia exurgat (DEI beneficiô) ardens desiderium & amor earum, & gaudium de iis, ad eum modum, quò imperfectis solent exurgere primi motus erga objecta prava, ad primam eorum repræsentationem, vel soli menti, vel etiam sensibus factam: assiduum studium proficiendi in virtutibus, & quædam insaciabilis esuries, sitisq; justitiæ: repentinum & notabile incrementum spei, dum exurgunt adversitates, & magnæ difficultates: oratio carens distractionibus, devotio longè quàm antea frequentior tempore adversitatum, & persecutionum personalium: gaudium in humiliationibus, conjunctum cum constanti & fervida perseverantia in bene cæptis: sensibilis

lis tristitia etiam in parte inferiore, dum audiuntur vel videntur graves DEI offensæ, pax animi, tranquillitas; tanta imò major in tribulationibus & persecutionibus, quanta erat tempore consolationum: aversio ab oblectationibus, etiam licitis sensuum, ex sancto sui odio, & contemptu plenario rerum mũdanarum, & ex studio mortificationis perfectæ; major inclinatio ad tractandum cum perfectioribus, quàm cum minùs perfectis, major propensio ad spiritualia colloquia, quàm ad profana & si non mala! major gustus in legendis libris Spiritualibus, quam profanis historiis, etsi non fædis! animi parata dispositio ad quævis facienda vel fugienda, juxta Superiorum arbitrium sine ulla exceptione: ardens desiderium humiliationum, præsertim calumniarum tolerandarum, & depressionum, ac degradationum: amor tener eorum à quibus aliquid valde injuriosum pati contingit: fuga commoditatum corporis, conjuncta cum fervido desiderio incommodorum, tentationum car-

nis extinctio, vel notabilis, in florida & vivida ætate diminutio etiam in occasionibus non quæsitis: desiderium diu orandi insatiabile, in repentinis casibus, adversis, mens etiam involuntariè imperturbata: extinctio talis tepiditatis, & negligentiarum: in operibus ad DEI cultum spectantibus: plena extirpatio omnium humanorum respectuum, conjuncta cum libertate spiritûs, exerente se tum ad facienda ea quæ imperfectis displicent & DEO placent: tum ad omittenda illa quæ mali socii vel imperfecti nollent omitti, dominium passionum præsertim iræ timoris, & amoris; aut nullus, aut longe minor, quàm antea pudoris, & confusionis sensus, in publicis humiliationibus: mentis affectuosa unio cum DEO, immediatè exurgens post quamvis actionem naturâ suâ distractivam, uti & post somnum quamvis vice interruptum: actualis & fervens devotio, seu piorum affectuum intensorum affectuosus comitatus, in laboribus manuum; firmitas voluntatis in odio mali.

 & amo-

& amore boni, durans in occasionibus gravium lapsuum, contra voluntatem oblatis, & perseverans semper etiam in locis ac occupationibus nihil humanum habentibus, quod à gravibus lapsibus posset retrahere.

Signa profectûs in illis qui recenter statum Religiosum amplexi sunt, numerantur ab eodem Lancicio octo sequentia: *1mum* si in dies illis magis ac magis placet status Religiosus, ad quem vocati sunt. *2dum* Si diminutus sit affectus erga consangvineos. *3tium* Si minus sentiant humiliationes. *4tum* Si magis afficiantur ad orationē, quàm antea. *5tum* Si optent pati adversa, præsertim bonā existimationem, & famam lædentia. *6tum* Si minuitur in illis numerus peccatorum. *7mum*: Si creverit affectus ad omnes res Ordinis, cum non omnibus quibus placet Ordo, res ejus omnes placeant. *8vum* Si diligentiùs obeant opera ordinaria, quàm antea

Plura signa & gradus ejusdem profectûs, vide apud citatum Nicolaum Lancicium, de quibus ille totum ex pro-

fesso

fesso librum scripsit: ad legenda etiam hæc quæ hic compendiosè collegi, te remisisse censueram, sed quia ex una parte non quilibet præsto habet dictũ librum, ex altera parte summè necessariũ est, allatos gradus & signa profectûs scire, cuilibet perfectionis studioso, ideo non superfluum duxi hæc omnia tibi ex toto libro colligere, ut perspectis gradibus & signis profectûs, videas quantùm profeceris, vel quantùm proficere tenearis.

CAPUT IV.

In quo proponitur Exemplar felicitatis Apostolicæ, ex Vocatione Divina dimanantis.

CErtum est omnibus, magnam esse felicitatem Apostolorum exinde, quod eos CHRISTUS Dominus vocaverit, ad ministerium suum. Et quoniam similis, & planè eadem felicitas est eorum, qui Apostolicum profitentur. Institutum, ideo hic dictæ felicitatis Exemplar remonstrabimus, ut eâ co-

gnitâ

gnitâ magìs accendamur, tum ad agendas DEO gratias, tum ad sequendam promptiùs Vocationem DEI ad se nos svaviter, & mirabiliter perducentis. Ut autem faciliùs dictam felicitatem Apostolicam, ex vocatione DEI provenientem repræsentemus, proponemus hic in particulari aliquot fontes ex quibus particulariter fluat, & in quibus particulariter consistat, dicta felicitas Apostolorum. Proinde sit.

§ Primus

In quo proponitur 1mus fons ex quo fluit felicitas Apostolicæ Vocationis seu statûs ad quem Apostoli vocati sunt.

PRimus fons ex quo fluit felicitas Apostolica, ac ipsorum Apostolorum à Domino vocatorum est dignitas vocantis, videlicet exinde sunt felices Apostoli & status eorum, quòd vocati sint ad ministerium, obsequium, & comitatum non qualiscunq; Domini creati vg. Imperatoris, Regis, aut Principis hujus mundi, sed defactò

voca-

vocati sunt ad obsequium ipsius CHRISTI Domini; qui simul Homo & DEUS est. Pro magna reputamus fortuna, quando conscij sumus vilitatis & abjectionis nostræ; & tamen insperatè vocamur ad ministerium alicujus primi in Regno Senatoris; vel Principis. Apostoli erant conscij miseriæ & fragilitatis suæ; erant conscij rusticanæ & plebeiæ conditionis suæ; & quia hac non obstante, vocati sunt ad latus ipsius DEI; nonne exinde magna felicitas eorum est depromenda? nonne ex eo grandis fortuna eorum inferenda? ô certe magna & grandis fortuna est vocari ad obsequium supremi rerum omnium Moderatoris; nempè ipsius DEI quia talis vocatio est, ipsissima adoptio ad Filiationem & hæreditatem DEI ut infra dicetur.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ; si ad te ipsum redeas, videbis quòd & tu felix es ita sicut & Apostoli, quia miseratione Divina vocatus es ad obsequium, non alicujus Domini creati vel mortalis; sed ad obsequium Domini In-

ni Increati, nempè ipsius DEI & CHRISTI Domini: dum enim quispiam ad Sacram Religionem vocatur, non vocatur hoc fine ut ministret, serviat & famuletur alicui Domino creato, præcisè secundum se sumpto, sed vocatur hoc fine, ut serviat ipsi DEO, ac CHRISTO Domino. Qui vocatur ad aulam mundi, ejus opus est servire Domino mundi, qui autem vocatur ad Institutum Apostolicum, vel quodcunq; aliud, illius finis est servire Domino Cæli: Cùm ergo sic vocatus sis ad hoc Sacrum Institutum, (in quo degis) cujus finis est servire Domino Cæli, ideo tuus finis debet esse servire Domino Cæli, seu DEO Optimo Maximo. Gloriantur plerumq; multi, quòd brevi ad primam supremam Aulam vocati fuerint, dilatant suam vanitatem & pompam, quòd lateri Principum, Regum, & Imperatorum assistant, & in hoc totam suam felicitatem reponunt, quod Regiæ vel Cæsareæ aulæ inserviant, ô infelix felicitas servorum hujus mundi! justiùs & securiùs tu gloriari poteris, quia

quia ad aulam, Thronum, & comitatum ipsius DEI vocatus es. Servire DEO regnare est, tu cùm servias DEO, eò ipso regnas, adeoq; Rex es. Felix tale servitium, quod te Regem facit! felix tale obsequium, quod te ad Thronum DEI promovet!

Unde hic bene reflectaris super hoc, quòd famuli Principum hujus mundi, dum vocantur ad aulam eorum, pro magna fortuna, dignitate, & prærogativa id reputant: tu cum vocatus es ad Religionem, eò ipsò vocatus es ad aulam ipsius DEI, vide ergo quomodò tantum beneficium DEI tractes, quomodò illud venereris! quomodò æstimas & conserves! Quô dignior est & felicior Dominus aulæ, eò felicior & dignior est aula; tuæ aulæ Dominus ad quam vocatus es, infinitè dignus, infinite felix est, quãtò igitur aula dignior & felicior est, tãtò & tu felicior es, quòd tantæ aulæ adscriptus sis. Quid ergo fecisti aliquando condignum, pro dignitate hujus aulæ? quid unquam exhibuisti DEO, in gratiarũ actionem pro tanto beneficio?

¶ 2dus.

§ Secundus.

In quo proponitur 2dus fons, ex quo fluit, & in quo consistit felicitas vocationis Apostolicæ.

SEcundus fons ex quo fluit felicitas Vocationis Apostolicæ, est Justitia, misericordia, veracitas; infallibilitas; & Omnipotentia Vocantis; seu in hoc sunt felices Apostoli ex Vocatione sua, quòd vocati sint à Domino Omnipotente, Justo, Misericorde, Veraci; & infallibili: alii, nempè creati Domini, aliquando fortes, potentes, & invicti sunt, non tamen omnia potentes: multa imperant servis suis, quæ ipsi nec facere possunt, nec penes illa prudenter subsistere: Apostoli autem à tali Domino vocati sunt qui Omnipotens est, omnia potest, omnia uno intuitu amplectitur; nulla vis adversa, nullus hostis, nulla potentia, ei resistere potest: quidquid imperat aulicis suis, hoc semper efficere potest; & quandocunq; imperat, statim dat vi-

res tam naturales, tam supernaturales ad id exequendum: Domini creati vocant hos & illos ad obsequia sua, multa promittunt, innumera spondent, & repræsentant, sed quia plerumq; virtute justitiæ carent, promissa retractāt solaria, debita revocant præmia, vel vaferrimis astutiæ modis, eadem se compensare prætendunt. Dominus Apostolorum à quo vocati sunt, non tantum justus, sed etiam essentialiter justissimus est: solvit cuiq; secundum opera ejus, & tantum dat, quantum promittit, sicut autem justissimus, ita misericordissimus & infallibilis est; adeoq; ubi non poterant Apostoli sperare justitiam distributivam pro meritis suis, saltim poterant misericordiam; & si quid promissum habebant, de illo certissimi erant, quòd non sint frustrandi aut fallendi, quia Dominum summè infallibilem habebant. Undè licet Apostoli maxima pericula, discrimina, & adversitates subire cogebantur, tamen nunquam cadebant animò, quia sciverunt Dominum & Magistrum suum es-

ſe Omnipotentem, juſtum, miſericordem, & ſummè infallibilem; & hac infallibilitate firmatus PAULUS exclamat. *Ob quam cauſam* (a) *hæc patior? ſed non confundor: ſcio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Sciebant defactò cui ſeipſos crediderant Apoſtoli, & ſic etiam certi erant, quòd ſit potens depoſitum illorum ſervare, uſq; in diem mortis, & judicij.

Candide Imitator Vitæ Apoſtolicæ, iterum & hîc per vocationem tuam ita felix es, ſicut & Apoſtoli, quia pariter à Domino Omnipotente, Juſto, Miſericorde, Veraci, & Infallibili vocatus es: idem enim eſt Dominus vocatorum ad Sacram Religionem, qui fuit Apoſtolorum. Si obſequia ſuſcepiſſes apud alium quemcunq; Dominum hujus mundi, nunquam talem habuiſſes, qui eſſet Omnipotens, Juſtus. Miſericors, Verax, & infallibilis eſſentialiter, quia verò ſuſcepiſti onus ſerviendi DEO in Sacra Religione, ideo talem Dominum adeptus es, cui Omnipoten-

(a) 2. ad Timoth. C. 1. ℣. 12.

tentia, Justitia, Misericordia, Veracitas infallibilitas, & multæ aliæ perfectiones essentialiter insunt. Positô autem hôc quòd Dominum Omnipotentem habeas, quis est talis qui te vincere, & superare vel improperare tibi possit? nisi tu fortè ipse volueris; debilis es ad pugnandum cum carne, mundo, & diabolo? ipse tibi dabit vires ad vincendum, quia Omnipotens est; timidus es ad impetendas hostium tuorum insidias? ipse dabit fortitudinem dexteritatem, & audaciam, quia Omnipotens est: ab ipso omnis fortitudo, dexteritas, virtus & potentia. Qui cum ipsius adjutorio pugnat, certus est victoriæ; qui sine illo præliare intendit, jam victus est. Nullus Dominus creatus, dat vires & potentiam physicam, imò nec potest dare servis suis, nullus potest dare media supernaturalia, ad hunc vel illum effectum extraordinarium: Dominus tuus ô devote Imitator Vitæ Apostolicæ ita Omnipotens est, ut & potentiam physicam, nempe voluntatem, libertatem, totamq; animam ti-

bi tribuerit, illeq; ipſe ſolus primum eſſe dederit, & ſimul media ſupernaturalia providerit, quibus elevatus poſſis cæleſtia, & ſalutaria æmulari. Quia verò idem Dominus tuus qui Omnipotens eſt: etiã juſtus eſt, nõ potes unquã etiam minimam ſperare ab illo injuriã; quantum tibi promiſit ſolarium, tantum dabit: non retractabit quod ſemel declaravit, imò in ſuperabundanti ſolvet tibi juſticialiter, quantumcunq; merueris. Si autem non ſervieris illi ita ſicut promiſeras & debueras, miſericors imô eſſentialis Miſericordia eſt: ſicut juſtè ſolvit, ita miſericorditer parcit, ſi tantùm de peccato doleas, & ad eum pænitens confugias. Tandẽ ſi tibi in hoc tuo ſervitio, occurrat aliqua perplexitas, dubitatio, vel ambiguitas, certus debes eſſe; quòd non fruſtraberis ulla promiſſione Divina, quia DEUS ſicut miſericors, ita verax, & infallibilis eſt: omnis purus homo mendax, non DEUS, tu quotidie mentiri potes DEO, tibi DEUS nunquam. Penſatis igitur his omnibus, quòd vocatus ad Sanctam

ctam Religionem, Dominum Omnipotentem, Justum, Misericordem, Veracem, & Infallibilem habeas, expende quantum felix es quòd talem Dominum adeptus fueris: si famuli Principum hujus mundi, talem Dominum vel unum haberent, omnes ad illum concurrent, & omnes illi diligentissimè servirent? tu prævia vocatione, talem Dominum ipsô factô habes, & tamen ei sicut pertinet non famularis. Erubesce igitur negligentiam & tepiditatem tuam in obsequio DEI.

§ Tertius.

In quo proponitur tertius fons ex quo fluit seu dimanat felicitas vocationis Apostolicæ.

TErtius fons ex quo fluit felicitas Vocationis Apostolicæ est intima & præsentissima conversatio cum CHRISTO DEO simul & Homine, seu in hoc, & ex hoc felices sunt Apostoli ex occasione Vocationis suæ, quòd per dictã, vocationem suam, adepti sunt hanc

sortem & privilegium, ut cum CHRI-STO Domino, DEO simul & Homine, vivere, conversari, discurrere, mensæ accumbere, recreari, orare, meditari, quiescere, & alia plurima negotia operari potuerint. Magna & incomparabilis felicitas est, videre DEUM in Cælis facie ad faciem, cognoscere eum sicuti est in se ipso, magna est felicitas frui amore DEI beatifico in æternum, sed etiam videre in hoc mundo DEUM Incarnatum, DEUM humana facie velatum, DEUM absconditum, & modo quodam admirabili unitum naturæ humanæ, non postremus beatæ sortis gradus est!

Quòd si dicas, non magnam esse felicitatem Apostolorũ ex eo, quia cum DEO Incarnato videlicet CHRISTO Domino vivebant, conversabantur, & ejus visione ænigmatica utebantur, quia idipsum etiam habuerũt Pharisæi, Scribæ, Principes Sacerdotum, plebs Judæorum, ac ipsi etiam carnifices eum crucifigentes: cæterum si rem bene perpendes, contrarium senties, & in me-

um sensum accedes: videbant quidem Pharisæi, Scribæ, cæteriq; populi & nationes CHRISTVM, conversabantur cum illo accumbebant mensis, cum illo disputabant &c: tamen nihil proderat ipsis ad salutem, quia in CHRISTVM, tanquam in verum Messiam non credebant: doctrinas ejus efficaciter non audiebant, sed omnia perversô modò interpretabantur: Apostoli autem ita vivebant, & conversabantur cum CHRISTO, ita videbant DEVM INCARNATUM, ut simul in eum crederent, doctrinam ejus efficaciter implerent, & omnia sanô modô intelligerent. Porro non hæc felicitas est, videre DEVM INCARNATUM, & doctrinam ejus fidemq; contemnere; sed potiûs hæc felicitas in mundo summa est, videre DEVM INCARNATUM & simul in eum credere, eum cultu debito venerari, doctrinam ejus humiliter & piè audire, oracula cælestia sanò modô intelligere, cæteraq; omnia ita disponere & exequi, sicut pertinet ad gloriam DEI, & animæ salutem. Et quia Apo-

stoli

ſtoli, non modô Phariſæorum, Scribarum, nec modô Judæorum, intuebantur DEUM INCARNATUM, ſed potiùs modô illô qui conducit ad gloriam DEI, & animarum ſalutem, ideò illa viſio DEI INCARNATI, quâ fruebantur Apoſtoli erat ſumma felicitas eorum in hoc mundo. Imò ut nervoſiùs reſpondeam pro honore Apoſtolorum, hoc inſuper addo: Viſio Beatifica in Patria, non ſolùm conſiſtit in hoc, quòd Beati videant præcisè DEUM, ſed potiùs (ut communiùs & fortè veriùs docent Theologi) conſiſtit in hoc, quod videant DEUM, & quòd ſimul ament eundem DEUM: ita pariter felix viſio DEI INCARNATI in via, ſeu in hoc mundo, non ſolùm conſiſtit in hoc, quòd aliquis videat DEUM INCARNATUM, ſed quòd ſimul amet eundem. Porro Scribæ & Phariſæi videbant quidem in hoc mundo DEUM INCARNATUM, ſeu CHRISTUM Dominum, ſed eum non amabant, imò ubicunq; eum loquentem prædicantem, vel docentem audiêrunt, continuò ipſi inſidiabantur, volebant
eum

eum occidere, lapidare, & tandem oc-
ciderunt: Apostoli autem ita videbant DEVM INCARNATUM, ut simul eum incomparabiliter amarent, infallibiter venerarentur, & omnia possibilia signa amoris ipsi exhiberent. Proinde licet Pharisæi & Scribæ non evaserint felices, ex sua visione DEI INCARNATI, evaserunt tamen Apostoli, & summam felicitatem ex hoc adepti sunt, quia digni facti sunt videre salutariter in carne humana DEVM. Verum quidem est, quòd illa visio latentis in carne humana DEI, fuerit ænigmatica & per fidem, cæterum tamen in spectantibus & videntibus se, tantam conciliabat suavitatem & amorem, ut omnes etiam Pharisæos ad se trahere potuisset, si malitiosè non restitissent.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, & tu per vocationem tuam ita felix es, sicut Apostoli: quia licet non possis quidē omni eô modô cum CHRISTO Domino DEO, & Homine conversari, vivere, recreari, & alia negotia contingentia operari, sicut ope-

rabantur Apostoli; potes tamen id totum habere & facere, aliô simili modô; nempe conservando præsentiam CHRISTI Domini in intellectu, amorem in voluntate, recordationem in memoria. Conversatio, recreatio, & vita cum CHRISTO Domino duplex haberi potest, nempè vel talis, quæ fit etiam per sensus materiales, vel talis quæ habetur per spiritum: Apostoli degentes in hoc mundo, habebant utramq; hanc vitam, & conversationem cum CHRISTO Domino, quia eum sensibus materialibus attingebant, nimirum audiebant loquentem, prædicantem, arguentem &c: videbant eundem disputantem, & alia opera perficientem; habebant & secundam conversationem, quia ejus præsentiam etiam absentis conservabant in intellectu, amorem in voluntate, recordationem in memoria: tu ergo cum non possis habere primam conversationem cum CHRISTO Domino, siquidem jam cum corpore ascendit in cælum, potes tamen habere secundam, nimirum potes conversari, recreari, vi-

vere

vere cum CHRISTO Domino ſpiritualiter; attingendo ipſum potentiis ſpiritualibus, intellectu, voluntate, & memoriâ. Et quidem potes hoc totum facere commodiùs, efficaciùs, & ſecuriùs intra Religioſæ portæ limina, quàm ſi eſſes in mundo: in mundo præſentia, amor, & recordatio avara bonorum terrenorum, & ſæcularium negotiorum excludit, aut ſaltem impedit præſentiam, amorem, & recordationē CHRISTI Domini, jam autem in Religione nihil horum adeſt, ſi nos ipſi non fuerimus implicati, vel ſi non curemus terrenis negotiis implicari, vel ſi nos conſultò ad illa tractanda non offeramus, ut diſtractionem à tractandis ſpiritualibus habeamus.

Mundus ſequentibus ſe, offert hos & illos amicos ad recreandum, ſuggerit vanas & inutiles Perſonas ad converſandum, deſponſat cum his & illis ad vivendum: Vocatio autem & Profeſſio Religioſa, nullum alium amicum, nullum Patrem, nullum Benefactorem, nullum ſponſum offert, niſi CHRI-

STUM Dominum, ac ipsum DEUM: ut omnes illi qui ad talem vitam vocati sunt, cum nullo alio, nisi cum Christo Domino conversari, vivere, recreari studeant. O quot Viri Sancti, non vixerunt tunc quando CHRISTUS Dominus vixit, & tamen cũ ipso in hac terra vivere conversari, & recreari meruerunt? sic Doctor Gentium Paulus non vixit socialiter cum CHRISTO Domino, sicut cæteri Apostoli, & tamen miseratione Divina raptus est ad tertium cælum, ut ibi videret magnalia Dei: humilis Franciscus non vixit tempore vitæ CHRISTI Passionis, mortis & Crucifixionis ejus, & tamen cum CHRISTO Domino Crucifixo, in monte Alverniæ in spiritu recreatus; & conversatus est; pariter Sancta Teressia, Brigitta, S. Antonius, Beatus Joannes Cantius Almæ Universitatis Cracoviensis speciale decus, Stanislaus Kostka, & innumeri alii Sancti & pii Viri, non vixerunt vivente in hac terra CHRISTO Domino, & tamen illis cum CHRISTO loqui discurrere,

recre-

recreari, & conversari indultum est, simili modo, & tu conversari poteris ex adminiculo vocationis tuæ, si aliunde impedimentum non posueris. Vocatio hæc DEI quam amplecteris, est prima radix vivendi, conversandi, & recreandi cum CHRISTO Domino in terris, est via & tractus facilis ad vacandum CHRISTO Domino & honori ejus, quare si eam rectè secutus fueris, ita ex eadem felix eris, sicut fuerunt & Apostoli. Apostoli ideo ex occasione vocationis suæ felices fuerunt, quia cum CHRISTO adhuc in terra vivente; conversari & recreari meruerunt, & te vocatio tua ad hoc disponit, ut & tu vivas converseris, & recreatione fruaris cum CHRISTO etiam in terris, consequenter felix imò felicissimus es, ex beneficio vocationis Divinæ. Vide igitur quomodo tantum beneficium & felicitatem ex illo manantem tractas? attende si gratus es DEO, Religioni, & Superioribus tuis? attende si non vilipendis tantam dignationem DEI? &c: &c:

§ 4tus.

§ 4tus.

Proponitur quartus fons ex quo fluit, & in quo consistit felicitas Vocationis & status Apostolici.

QUartus fons ex quo fluit & in quo consistit felicitas vocationis, & status Apostolici, est specialis communicatio doctrinæ facta Apostolis à CHRISTO Domino vocâte, nempè quòd Apostolis specialis quàm aliis data, communicata, & infusa sit doctrina necessaria, ad consequendum Regnum DEI, & conducens non tantùm ad illorum, sed etiam ad totius mundi salutem: juxta illud Scripturæ: *Vobis datum est* (b) *nôsse Mysterium Regni DEI, cæteris autem in parabolis.* Nemini DEUS quantum est de se, subtrahit aut denegat doctrinam & scientiam requisitam, ad possidendum Regni cælestis Thronum, nemini subducit Mysteria fidei ad obtinendam animæ salutem necessaria, cæterum Apostolis specialiori quodam modo, dedit notitiam eorum quæ spectant ad capiendum Regnum DEI:

(b) *Luca* 8. *V.* 10.

vobis

vobis datum est nôsse Mysterium Regni DEI, cæteris autem in parabolis. Et sic quando venit CHRISTVS Dominus in mundum, revelavit Pharisæis, Scribis, & Principibus Sacerdotum totiq; populo Hierosolymitano, imò toti Orbi, revelavit inquam adventum suum, revelavit multa Mysteria legis gratiæ, aperuit Scripturas, dedit multa præcepta, instructiones, & dogmata ad salutem animæ in statu legis gratiæ obtinendam, sed hæc planè omnia in parabolis disseruit, ut videre potest, qui leget Sanctos quatuor Evangelistas: Sanctos autem Apostolos, non tantùm in parabolis, sed etiã quodam speciali, occultôq; modô ita efficaciter docuit, ut multa imò innumera præ aliis scirent, & perciperent. Certum est omnibus sinè dubiô, quòd Apostoli ante vocationem suam literas perfectè nõ didicerint, Sacras scripturas non calluerint, Prophetas non intellexerint, oracula Spiritus Sancti per Prophetas dispersa non perceperint, & tamen postquàm vocati sunt à CHRISTO

STO tantùm profecerunt in doctrina, ad Regnum cæleste obtinendum necessaria, ut dum eis hic & ibi loquendum contingeret, dum contra Judæos & Gentiles dandum resurrectioni Dominicæ, aliisq; fidei Mysteriis testimonium occurreret, subitò ad Scripturas conversi sunt, Scripturis probabant Resurrectionem, ex Prophetis deducebant id, quod de CHRISTO Patiente, Moriente, & Resurgente affirmabant, ad Spiritus Sancti oracula confugiebant, ubi Spiritui Sancto resistentem cernebant Judæorum multitudinem. Vnde illis tanta doctrina? undé tanta scientia & eruditio? non aliunde nisi ex eo, quia DEVS specialiori modo, & quadā virtute occulta docuit eos, quidquid in eis requirebatur tam ad salutem totius mundi, quàm ad salutem eorundem ipsorum Apostolorum. Porro non parva, imò suprema felicitas est, scire specialiori & sublimiori modo hæc, quæ requiruntur ad æternam animæ nostræ salutem; unde ipse CHRISTVS Dominus proclamat Petrum esse

feli-

felicem ac beatum, quia cognovit per revelationē Patris æterni, veram Divinitatē CHRISTI Domini: *Beatus es Simon Bar-Iona (a) quia caro & sangvis nō revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est.* Beatus Simon Bar-Iona, Beati omnes Apostoli, quare beati? quia caro & sangvis non revelavit illis; sed Pater Cælestis; quid tale illis revelavit? nisi Mysterium Regni DEI; Mysterium autem Regni DEI est confiteri CHRISTVM Dominum esse verum Filium DEI vivi; hoc Petrus nomine omnium Apostolorum confessus, hoc illi nôsse datum est: *Beatus es Simon Bar-Iona quia caro & sangvis non revelavit tibi sed Pater meus qui est in Cælis.* Quis jam beatos, quis jam felices atq; fortunatos ex vocatione sua non proclamabit Apostolos? quando ipse CHRISTVS eosdem proclamat? ô millies imô infinities beati! quiá illis datúm est nôsse Mysterium Regni DEI, quia illis caro & sangvis non revelavit, sed Pater Cælestis, quia cognoverunt & sufficienter percepe-

(a) *Matth: 16. V. 17.*

sunt ea, quæ requirebantur, ad capiendam Regni cælestis possessionem.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, sicut Apostoli felices sunt, ex speciali cõmunicatione doctrinæ cælestis, ita & tu pari ratione felix ac beatus es quia tibi in Religione specialiùs datur & communicatur doctrina, ad Regnũ DEI consequendum necessaria; & cõducens, non tantùm ad tuam propriam, sed etiam aliorum salutem, quàm data vel communicata fuisset, si esses in mundo. Quousq; in mundo vixisti, non habuisti ita sufficientẽ doctrinam & instructionem, ad Regnum consequendum necessariam, ignorâsti viam: quâ tutiùs itur & pervenitur ad salutem. quàmprimùm autem vocatus es ad Religionem, & amplexus eandem, statim tibi Religio providit Magistros, Directores, ac Præceptores, qui tibi sanam doctrinam ad Regnum DEI consequendũ necessariam porrigerent, viam veritatis ostenderent, & occultas hostium insidias contra te suppositas, dissiparent. Nihil amplius in mundo

scivi-

scivisti, nisi superbire, alios postponere, honores ambire, nemini locum cedere, omnibus invidere, gulæ, vanitati, pompisq́ servire, omnia ex usu & consvetudine facere, nulli operi etiam optimo rectam intentionem præfigere: vix autẽ limina tuæ Religionis ingressus es, statim tibi data sunt præcepta humilitatis, subministrata media contra vilipensionem aliorum, contra primatum locorum; provisa arma contra invidiam, gulam, & omnem vanitatem sæculi: tandem porrecta tibi est instructio, ut occultè operi bono, imò etiam indifferenti rectam intentionem præfigas, adeoq; ut nihil ex consvetudine facias. Quando sæculo adhærebas, Evangelium raró, aut nunquam audivisti; aliam præterea nullam certam Regulam habuisti, sed vixisti plane more brutorum, quidquid appetitus, amor sensualis, & concupiscentia ad apprehendendum vel appetendum obtulit: postquam autem Vocationem Divinam secutus es, licet aliquando nolis, vel te indifferenter habeas, exci-

taris à Superioribus cum ad audiendum CHRISTI Evangelium, tum ad repetendam in memoria Regulam professionis tuæ, tum ad percurrendas & observandas Constitutiones Ordinis. Præter hanc admonitionem, excitationẽ, & præcepta, habes etiam tot exempla Patrum, Virorum, & Sanctorum Antecessorum tuorum, qui hanc Regulam, Constitutiones, modumq; vivendi observando, pii, Sancti, & DEO gratissimi evaserunt. Vnô verbô concludo ad Religionem venisti planè rudis, & ignarus viæ doctrinæq; CHRISTI, speciali modo trahentis ad se mentes hominũ: in Religione autem, quiquid tibi deerat & quidquid requirebatur ad salutem animæ obtinendam, hoc totum tibi provisum & subministratum est, ita ut te Religio etiam in particulari possit alloqui: *Tibi datũ est nôße Mysterium Regni DEI, cæteris autem in parabolis.* Reflectaris quid ante & qualis fuisti in via CHRISTI? item quid modò? & qualis sis? nunc saltim id habes, quòd modô humanô ex intentione recta, singu-

la bona opera agas, & quòd habeas oculos apertos, quomodò securius, felicius & efficacius possis animam tuam salvare, antea verò parùm aut nihil horum omnium novisti. Quod cum ita sit, quæro ex te? quanta sit felicitas scire hæc omnia? tuô, meô, & luminis naturalis judiciô certum est, nullam esse majorem, æstimabiliorem, & ampliorem felicitatem, quàm scire doctrinam, præcepta, viamq; salutis æternæ; hoc tu beneficiô vocationis primæ in Religione accepisti, accipis, & accipies ulteriùs quamdiu vives, proinde felicitas vocationis tuæ æquiparatur multùm felicitati Vocationis Apostolicæ, quam si more Apostolorum conservare studebis, sperandũ in Domino, quòd spiritũ Apostolicũ cordi tuo imprimes.

§ Quintus.

In quo proponitur 5tus fons, ex quo fluit felicitas vocationis, & status Apostolici.

QVintus fons ex quo fluit felicitas Vocationis & status, Apostolici, est

quædam prælatio & evectio Apostolorum supra ipsos Reges, Principes & Prophetas in eo, quia scilicet Apostoli ea viderunt & audierunt, quæ multi Reges, & Prophetæ nec viderunt, nec audierunt, licèt voluerint, & ex animo desiderârint. Et hanc felicitatem exponit ipse CHRISTVS Dominus Apostolis dum inquit: *Beati oculi* (a) *qui vident, quæ vos videtis: Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Satis grandis erat felicitas Apostolorum & Vocationis eorum, quòd illis datum fuerit nosse Mysterium Regni DEI, quod cognoverint omnes doctrinas, præcepta, & dogmata CHRISTI ad salutem æternam requisita, adhuc DEVS Optimus Maximus, majori eos felicitate donavit, quando ultra ipsos Reges & Prophetas, in multis miraculis videndis, & audiendis illos prætulit. Multi Reges voluerunt videre illud miraculum, quando mulierem à fluxu sangvinis CHRISTVS liberavit,

(a) Io. C. ℣. 23. quan,

quando arborem virentem, aridam instanti fecit, quando paralyticum sanavit, quando puellam Reguli, & servum Centurionis à morte vindicavit, quando Lazarũ resuscitavit sed nullus eorũ hoc vidit, nullus eorũ hoc spectavit multi Reges & Prophetæ voluissent videre Institutionem Sacrosancti Eucharistiæ SACRAMENTI, orationẽ in horto admirabilem Passionem Christi, gloriosam Resurrectionem, & per quadraginta dies prodigiosam in corpore apparitionem, tandem triumphalem ascensionem; sed nemini Regum & Prophetarum antecedentium hæc fortuna concessa est: Apostoli autẽ hæc omnia viderunt, spectarunt, & intuebantur.

Prophetavit Rex David adventum INCARNATIONEM, Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem CHRISTI Domini, sed nihil eorum meruit videre: Prophetavit Jsaias, Jeremias, Ezechiel, cæteriq; Prophetæ multos futuros eventus, & miracula à CHRISTO Domino patranda, sed hæc ipsi non viderunt. Apostoli autem non

tantùm ipsum CHRISTVM Dominũ, verum in carne humana DEVM, non tantùm doctrinam ejus, & notitiam Regni DEI, sed etiam miracula, prodigia, & extraordinarios eventus, in confirmationem CHRISTI doctrinæ, & Divinitatis factos, apertè viderunt & intuebantur. Magna fuit felicitas eorum qui illum eventum viderunt, quando STANISLAUS Pontifex, cum admiratione Gentis Polonæ mortuum in Sepulchro PETRUM suscitavit, & ad Tribunal Regis pro testimonio statuit, similiter magna fuit felicitas, qui viderunt quando idem Sanctus Martyr tẽpore actualis Canonizationis, cadaver in feretro jacens, ad vitam revocavit; quanta precor felicitas Apostolorum fuit, quando illi viderunt CHRISTUM Dominum, tot mortuos virtute propria suscitâsse, tot ægros, claudos, & variis infirmitatibus gravatos refecisse.

Candide Imitator vitæ Apostolicæ, sicut Apostoli ita similiter & tu felix es per vocationem tuam; quia multi Reges & Prophetæ voluerunt audire, & vide-

videre, quæ tu vides & audis, & tamen nec viderunt, nec audierunt. Multi Reges vellent habere tantam cõmoditatem ad vacandum DEO, quantam tu habes: & tamen illam non habuerunt, multi Reges vellent tanta pace tam interna quàm externa frui, quantâ viri Apoſtolici fruuntur; & tu fortè indulgente Bonitate Divina frueris; & tamen illa nunquam fruiti ſunt, multi Reges vellent ſaltim ad horam pacificè orare, pacificè quieſcere, converſari, refici, diſtrahi, à curis publicis ſaltem una die vacare, & tamen hoc rarò & cum difficultate acquirunt: tu autem ſi velis, potes tantùm orationi intereſſe, quantùm placet, potes pacificè quieſcere, in tranquillitate converſari, diſtrahi, & alia ſingula opera ita diſponere, ut nihil tale ſit, quô turbari vel impediri poſſis. Multi Reges vellent illam familiaritatem cum DEO inire, quam ſolent habere viri Vocationis Apoſtolicæ ſtudioſi, vellent tales conſolationes internas habere, qualibus donantur pia Religioſarum men-

tium pectora, & tamen illas nec habent nec habuerunt, nec vident nec viderunt, nec audient nec audierunt: quid est tale quod illos impedit, certè nihil aliud, nisi vocatio Regia, plenissima publicis Regnorum & populorum curis, tu autem cum sis vocationis Apostolicæ vel cujuscunq; alterius Religiosi status? remotus es ab his omnibus, & sic faciliùs charismata & dona cælestia videre, audire, habere & possidere, potes; Reges autem & Principes hujus sæculi cum sint his & illis dominiorum suorum gravati negotiis, non possunt ita commode pacem internam acquirere, vel acquisitam retinere. Quid precor tot Reges, Reginas, Principes, & invictissimos Monarchas còégit ut deposita Regia, Ducali, & Cæsarea Majestate, ad claustra Religiosa confugerent, & ibi usq, ad mortem perseverarent? defactò inter alia etiam hoc, quia cum essent in mundo regnantes & imperantes, non potuerunt hæc videre, & audire, hæ acquirere & possidere, quæ vident, audiunt, habent, &

pos-

possident Viri Religiosi, item hoc, quia cum essent in mundo non potuerunt habere tantam pacem, tantam commoditatem vacandi DEO, quantam habent Viri Religiosi, tandem hoc; quia cum essent in mundo, non potuerunt ita familiariter vivere cum DEO, sicut possunt & solent Viri Religiosi.

Quid precor CAROLUM V. Romanorum Imperatorem, Balduinum III. Hierosolymorum Regem, Franciscum Borgiam Marchionē Mantuæ, Proregē Catalauniæ, religiosis intrusit liminibꝰ? quid Elisabetham Reginam Portugalliæ, Hedvigim Ducissam Poloniæ, pro Regali & Ducali diademate, vela Religiosa assumere persvasit? certè nihil aliud, nisi hoc, quia in tumultu Regalium purpurarum ac negotiorum, non potuerunt habere illam felicitatem & aptitudinem vacandi DEO, quam habent Viri Apostolici intra claustra conditi. Quid tandem Petrum Cælestinum, CHRISTI in teris Vicarium, ac Sum̄um Pontificem, sponte Pontificatui? & supremæ potestati resignare còégit?

git ? ecce nihil aliud, nisi hoc; quia assumpto Pontificatus munere, non poterat ita commodè solitis medicationibus incumbere, sicut ante Pontificatum incumbebat. O indolendum! Reges, Principes, Reginæ, ac ipsi etiam Summi Pontifices, ad religiosa claustra fugiebant, ut mundũ fugerent, pacem internam acquirerent, & familiariùs DEO vacarent! nos miseri! viles! contemptibiles! ac pauperes in mundũ evolare, multi vellemus! ut ejus fallibilem vanitatẽ gustemus! Reges & Principes statum vocationemq; religiosam, regiis prætulerunt sceptris, & maluerunt Regnis hæreditariis quàm vitâ religiosâ destitui! nos, qui jam vitam Religiosam professi sumus, plùs æstimamus vanitatẽ mundi, vel aliquã honoris umbram, quàm vocationem nostram!

Quoniam igitur tot Reges, & Suprema Orbis Capita, ad Religiosa confugiebant claustra, & defacto confugerunt, ergo signum est, quòd in Religione reperiatur aliquid feliciùs, & optabiliùs, quàm in sæculo; ergo signum

est,

eſt, quòd in Religione major, amplior, & ſecurior quædam felicitas inveniatur, quàm in mundo. Si enim dicti Principes, haberent majorē felicitatem in ſuis Thronis & Dominiis, eam in Religionibus non quærerent; quia verò quærunt & plurimi quæſierunt, proinde ſequitur, quòd illam non habeant, ſed ſemper id verificatur, quòd major ſit in Religione quàm in Throno felicitas. Agnovit & confirmavit hanc veritatem Theodoſius Imperator, ut conſtare poteſt ex ſequenti Hiſtoria, quam tibi ſubjungo.

Fuit quidam Vir ſolitarius Conſtantinopoli, temporibus Theodoſij Imperatoris, (habitabat autem in parva cella foris extra Civitatem in loco ubi ſolent Imperatores egreſſi de Civitate, libenter degere.) audiens autem Imperator, quòd ibi eſſet quidam Vir DEO devotus, (qui nunquam egrediebatur de cella,) cæpit deambulando pergere ad eũ locum, ubi erat ſupradictus Vir (a) præcepitq́ ſequentibus ſe eunuchis, ut nullus

(a) *In Vitis Patrũ Parte 2da adhort: §. 18. fol. 133.*

nullus approximaret ad cellulam Viri illius, ipſe autem ſolus perrexit pulſavitq́, oſtium. Surrexit autem prædictus Vir, & aperuit ei, & non cognovit eum quòd eſſet Imperator. Tulerat enim ſibi Coronam de capite ſuo, ut nō cognoſceretur. Poſt orationem autē reſederunt pariter, & interrogavit eum Imperator dicens. Quomodò Sancti Patres degunt in Ægypto? reſpōdensq́; prædictus Vir ait: omnes exorant DEVM pro ſalute ſua. Aſpiciebat autem Imperator intentè cellulam ipſam, & nihil in ea vidit, niſi paucos panes ſiccos, in ſporta pendentes; & dixit ei: da mihi benedictionem Abba, ut reficiamur; ſtatimq́; ille feſtinavit & miſit aquam & ſal, & buccellas, & comederunt pariter, porrexitq́; ei calicem aquæ, & bibit. Tunc Theodoſius Imperator, ſcis quis ſum ego? reſpondens Vir ille dixit. Neſcio quis ſis Domine. Dixit ei. Ego ſum Theodoſius Imperator, & ob devotionem veni huc. Hoc cum audiſſet Vir ille ſolitarius; proſtravit ſe ante illum, at ille dixit ei:

Beati estis Viri solitarii qui securi & liberi de negotijs sæculi, tranquillitate & quieta perfruimini vita, & solummodò de salute animarum vestrarum habetis sollicitudinem quomodo ad vitam æternam, & ad cælestia nobis vobisq; promissa præmia pervenire possitis. In veritate enim dico tibi, quia certè in palatio natus sum, & nunc in Regno dego, & nunquam sine sollicitudine cibum capio.

Beatos appellavit Viros solitarios Theodosius Imperator, cæterum ampliùs & generaliùs loquendo, dicere possum: Beati vos estis Religiosi cujuscunq; Religionis & Ordinis, qui securi ac liberi de negotiis sæculi, tranquilla & quieta perfruimini vita, & solummodò de salute animarum vestrarum habetis sollicitudinem, quomodo ad vitam æternam & ad cælestia nobis vobisq; promissa præmia pervenire possitis. In veritate enim dico vobis, quia multi in Palatiis Regiis nati sunt & nunc in Regno præsidentes degunt, & nunquam sine sollicitudine cibum capiunt.

Simili pietate idem S. Imperator ostendit, vitam Religiosam esse præferendam omni felicitate & pompis sæculi: nam dum Augustissima Imperatrix Consors ejus, suaderet Eufraxiæ Heroinæ devotissimæ (a) ex sangvine Imperatorio, Clarissimæ Antigoni Senatoris Romani derelictæ viduæ, ut secundas cum Magno quodam & opulentissimo Viro, iniret nuptias, Theodosius Imperator, quàm primùm de hoc rescivit, graviter invectus est in Augustam Consortem suam, indignatusq; dixisse fertur: Verè Augusta extraneam rem ab hac conversatione fecisti, hæcne sunt opera Christianæ Augustæ? sic promisisti DEO piè regnare? sic recordaris Antigoni, qui nobis semper utilis permansit? alienã rem nostro Imperio egisti, quòd mulierem in puellari ætate constitutam, (quæ pænè solummodò unô annô cum Viro vixit, & mox ex constituto propter cæleste Regnum se ab utrinq; separaverunt), tu rursum ad mundum redire compellis? & neq; timui-

(a) *In Vitis Patrum Parte 1ma in Vita S. Eufraxiæ.*

timuisti DEVM, hanc iniquitatem volens facere? quis satisfaciet hominib9? non per me factum est hoc; indecentem & incongruam fecisti rem, quod nec oportuit ut meum audiret Imperium. O felix Imperator qui tam gloriosè novit fervorem DEO serviendi præferre, vanitate sæculi! O quàm felices essent Religiosi, si pari dexteritate statum Professionemq; suam, scirent plùs æstimare, quàm pompas inanes hujus mundi, sed quia æstimare nesciunt, ideo etiam multi ex illis vocatione sua contenti rarò videntur.

Venit aliqvando Macarius Alexãdrinus ad Magnum Macarium, qui & cum ambo essent (a) Nilum transmissuri, accidit ut ipsi pontem ingrederentur, in quem ingressi sunt, duo Tribuni, cum magno fastu & apparatu, ut qui intus haberent rhedam totam æneam, & equos frenis aureis ornatos, quosdam eos stipantes milites, satellites, & pueros torquibus & aureis zonis decoros. Postquam ergo tribuni viderunt,

(a) *Surij Mense Ianuar. fol. 35. num. 13.*

ipsos veteribꝰ pãnis indutos & sedentes in angulo, humilem illam & tenuem vivendi rationem, beatam judicabant: unus autem ex ipsis Tribunis, dixit ad ipsos: *Beati estis vos qui mundum illuditis!* Respondens autem Macarius, (qui erat Urbanus,) dixit eis: *Nos quidem mundum illusimus, vos autem illusit mundus.* Scias autem, te non sponte sua hoc dixisse, sed prophetice: ambo enim vocamur Macarii, hoc est beati; is autem, ejus sermone cõpunctus, cum domũ venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas.

Quod olim duobus his Macariis dictum est ab uno ex Tribunis, hoc modò omnibus Viris Religiosis vocationi suæ correspondentibus, aptissimè dici potest: *Beati vos estis qui mundum illuditis.* Et verè beati imò millies ac infinities beati! parvane beatitudo est habere pacem, commoditatem & tempus aptum DEO serviendi? parvane beatitudo est de nulla re sollicitũ esse, sed de solo Deo! parvane beatitudo est, ea videre, ea audire imò actualiter possidere, quæ multi

Reges

Reges, Prophetæ, Principes, Imperatores, Duces, Tribuni, aliiq; Monarchæ, voluerunt videre, audire, possidere, & tamē nec viderunt, nec possederunt: Viri autem Religiosi DEO perfectè dicati totum hoc vident, audiunt, habent, & plenariè possident, possidendoq; illa omnia, mundum illudunt, amatores sæculi de cellis suis irrident, quòd tam vanis & fallacibus bonis sollicitè inhient.

§ 6tus.

In quo proponitur 6tus fons, ex quo fluit felicitas Vocationis, seu status Apostolici.

SExtus fons ex quo fluit felicitas status Apostolici ad quem vocati sunt, est amicitia cum ipso CHRISTO Domino, DEO simul & Homine, seu quòd Apostoli post vocationem sui declarati sint ab ipso CHRISTO Domino pro amicis ejus juxta illud Scripturæ: *Vos amici mei estis,* (a) *si feceritis quæ, ego præcipio vobis. Iam non dicam vos servos,*

(a) *Ioan:* 15. C. ℣. 14.

quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quousq; Apostoli non fuerunt vocati à CHRISTO, erant servi & fortè mancipia peccatorum; postquàm autem vocati sunt, & fecerunt quæ sibi præcepta noverunt; amici CHRISTI declarati sunt: *Iam non dicam vos servos.* Non solùm autem hoc privilegium dedit Apostolis suis CHRISTUS Dominus ut essent amici ejus, sed etiam hoc ut sint Fratres ipsius, & de facto in multis locis nomine Fratrum illos compellat, sic Matth: 8. *Ite nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam:* Et Joannis 20. *vade ad Fratres meos, & dic eis ascendo ad Patrem meum. &c:* Tandem Paulus Apostolus, testatur se & cæteros Apostolos esse Filios DEI, hæredes DEI, & cohæredes CHRISTI, dum inquit: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit* (a) *spiritui nostro, quòd sumus Filii DEI, si autem Filii & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem CHRISTI.* O quàm sublimis felicitas vocationis Apostolicæ!

(a) *Ad Romanos C. 8.*

stolicæ! per quam originaliter, & quasi radicaliter facti sunt non tantùm Filii, sed etiam hæredes DEI, & cohæredes CHRISTI!

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, sicut Apostolorum, sic & tua felicitas fluit ex hoc fonte, quòd quàm primùm es vocatus ad Religiosum Institutum à DEO, statim factus es amicus CHRISTI, Filius, Hæres, & Cohæres Regni ipsius: statim ipsa Religio genuit te in Filium suum, desiit te nominare servum, licèt antea in re servus fueris, si non alicujus Domini vel Principis, tunc saltim peccati, qui enim peccatum operatur servus est. Non respicit ergo hanc servitutem tuam Sacra Religio, non respiciunt Prælati, Magistri, & cæteri Superiores Ordinis, sed te etiamsi conditione, genere, & statu vilissimus fueris; ita amicum, Fratrem, & Filium suum appellant, sicut appellare solent eos, qui ex Regali, Ducali, Senatoria, vel nobili familia Sacram Religionem ingressi sunt, & licèt vivendo in sæculo, fortè multa patrâsti vitia, & horum cô-

ſcia Religio eſt, quòd illa antecedenter patraveris, tamen tecum miſericorditer procedit, còóperit charitate multitudinem peccatorum tuorum, eodemq́; modô habet te pro Amico, Fratre, & Filio ſuo, ſicut habet & reputat eos, qui ad Religionem venerunt pii, Sancti, immaculati, vel ſaltim nullo grandi vitio notati. Sicut ergo magna fortuna illius eſt, quando quis de mancipio, fit gratiâ Domini ſui liber & manumiſſus, ita magna felicitas tua eſt, cum de abjecto, humili, & contemptibili ſervo, evadis per vocationem tuam, Amicus, Frater, & Filius Sanctæ Matris Religionis, & quidem cum hac clauſula, ut tibi nemo licitè poſſit exprobrare antiqvum ſtatum abjectum, vel ſervilem.

Quòd ſi dicas, aut aliqua ex parte dicere poſſis, quòd in mundo nullius Domini ſervus fueris, cum habueris fortunam tuo ſtatui ſufficientem, aut Parentes ſublimes, ac prædivites; tamen fortè ſine dubio fuiſti ſervus peccati, nec dicere potes, quòd nunquam pecato ſervieris, aliàs mendax eris juxta illud

illud Scripturæ: *Si dixerimus* (a) *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: de hoc ergo servitio liberavit te aliquomodo Sancta Religio, quia subministravit media ad hanc liberationem conducentia, quæ postquam tu adhibueris, statim renatus es in Amicum, Fratrem, & Filium CHRISTI, qui antea servus Diaboli fueras. Porro major felicitas est, de servo Diaboli fieri Servum CHRISTI, quàm de servo alicujus Domini creati, fieri amicum Fratrem aut Filium, alicujus Religionis. Unde licet tu beneficiô Religionis, de prima temporali servitute non sis liberatus, quia in illa nunquam fuisti, tamen liberatus es de secunda multùm miserabiliori & periculosiori, nempè de servitute Diaboli & peccati. Proinde sicut illi, qui ante ingressum Religionis fuerunt servi pro magna felicitate hoc reputare debent, quòd per vocationem apprehensam fiant amici, & Fratres etiam Virorum piissimorum in Religione existentium; pari modo & illi, qui non fuerunt quidem ullius Domini servi,

(a) 1. *Joan. C.* 1. *V.* 8.

 vi,

vi, fuerunt tamen servi peccati, pro sublimi fortuna id recensere tenentur, quòd per similem vocationem suam arreptam, evadant amici, Fratres & Filii CHRISTI. Quælibet Regligio eôdem sibi ferè modô procedit, sicut procedebat CHRISTVS invitans & alliciens ad se Apostolos, & dicit in Persona CHRISTI ad quemcunq; nostrûm. *Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Audivi à Patre meo cælesti, doctrinam relinquẽdi omnia propter DEUM, & hanc notam feci vobis; audivi doctrinam castitatis servandæ, & hanc notam feci vobis; audivi innumera alia cælestium scientiarum arcana, viamq; tutiorem, faciliorem, ac svaviorem salutis æternæ capiendæ, & hanc candidè, sincerè, devoteq; notam feci vobis: venite igitur jam vos non dicam servos, licèt antea servi fueritis, sed vos dicam amicos, Fratres, & Filios meos.

Quo-

Quousq; viveris in sæculo cõtinuò servi eritis, quàm primum autem meis vexillis, & militibus inscripti fueritis, statim amici, Fratres, & Filii DEI, ac mei reputabimini, *jam non dicam vos servos &c: vos amici mei estis.* Quicunq; itaq; vult de servitute mundi, & peccati fieri manumissus & liber, sequatur hanc vocem Religionis invitantis: cujus magnalia si gustaverit, in æternum amicus, & Filius DEI, nominabitur, & in re erit.

§ 7mus.

In quo proponitur 7mus fons ex quo fluit felicitas vocationis seu status Apostolici.

SEptimus fons ex quo fluit felicitas Vocationis seu status Apostolici, est sublimitas, ac celsitudo officii: siquidem Apostoli ab infimo & contemptibili statu suo, ad sublime officium, ad excelsum ministerium, altumq; finem vocati sunt. Ante vocationẽ non aliud erat Apostolorum officiũ, nisi piscari, seu irrationales capere pisces, postquam autem vocati sunt, jam officium, finis,

& ministerium illorum, aliud ipsis à CHRISTO Domino designatum est, nempè piscatura hominum, *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum.* Quid est gloriosiùs, imò feliciùs an pisces, an homines piscari? quid est gloriosius an retibus immorari? an hominibus Evangelium prædicare? defactò gloriosiùs est circa hoc, quàm circa illud occupari. Redemptor ergo noster à retibus ad Evangelium, à capiendis piscibus ad capiendos homines, vocavit Apostolos: nonne igitur magna felicitas est vocationis eorum? Præter hunc finem (qui est Piscatura hominum seu prædicatio publica per totum Orbem) etiam sunt fines alii vocationis Apostolicæ, nempè testimonium Resurrectionis Dominicæ, & tendentia ad perfectionem: qui fines quàm sublimes, & magnifici sint, facilè cuilibet constare poterit, qui Resurrectionis Dominicæ altitudinem, & tendentiæ ad perfectionem, præmia æterna penetraverit; vel ex his ergo tam altis & excelsis finibus, satis alta & grandis est, felicitas Apostolorum.

Gandi-

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ sicut Apostolorum, ita & tua felicitas consistit in sublimitate officii, ac celsitudine ministerii, quia & tu ab infimo statu tuo, quē habebas cum in mundo vivebas, vocatus es, ad longè sublimius, excelsius, & gloriosius officiū. Si enim in mundo fuisti rusticanæ conditionis? certè officium tuum non aliud erat, nisi arare, metere, occare, & aliis laboribus rusticanis incūbere. Si fuisti Dux, Rex, Senator, aut Nobilis? officium tuum erat, Regnum, aut Ducatum regere, consilium in Senatu præbere; militiam tractare, & alia his similia expedire. Si fuisti insignis artifex, vg. architectus, statuarius, &c: officium tuum erat, artificia, & statuas construere, quæ omnia non adeo excelsa ministeria sunt: modò autem postquam vocatus es à DEO, ministerium & officium tuum, est prædicare & testari Resurrectionem CHRISTI Domini, est proficere seu tendere ad perfectionem: quæ omnia ministeria & fines, longè sunt nobiliores, sublimiores, & æstimabilio-

biliores; longè enim ſublimius eſt prædicare in Perſona CHRISTI, quàm Orbi univerſo imperare, longè nobilius eſt teſtari Reſurrectionem Dominicam, modô, fervore, & conſtantiâ Apoſtolicâ, quàm arare vel metere; longè imò infinities æſtimabilius eſt, proficere quotidie & tendere ad perfectionem, quàm ſuperba palatia conſtruere, ſtatuas erigere, & alia quæcunq; admiranda opera mundo remonſtrare.

Reminiſcere ergo tibi, quale antea geſſiſti miniſterium? reduc in mentem quali officio ante vocationē ſuſceptam alligatus eras? recogita intra te ipſum, quàm abjectis, humilibus, & contemptibilibus obſequiis irretitus eras? quod totum ſi bene ponderaveris, & ſtatum præſentem ad quem vocatus es cum antiquo comparaveris, videbis te longè feliciorem eſſe nunc, quàm antea fueris; iſtius autem majoris felicitatis origo, eſt gratuita vocatio Divina à te ſuſcepta. Quod cum ita ſit, recole devota mente quantum potes, Vocationem Divinam! & DEO te vocanti gratias age!

§ 8vus.

§ 8vus.

In quo proponitur 8vus fons ex quo fluit felicitas Vocationis Apostolicæ.

OCtavus fons ex quo fluit felicitas status Apostolici est plena libertas, seu perfecta immunitas à cura & sollicitudine bonorum temporalium: quàmprimùm enim vocati sunt Apostoli, statim non curârunt, nec poterant licitè curare bona temporalia, vg: quô vestirentur? quid manducarent? & quid biberent? sed totam hanc sollicitudinem reposuerunt, & reponere obligati sunt, in DEUM ac ipsum CHRISTUM Dominum, juxta præceptum ejusdē, Matth: 6. Cap: datum Apostolis: *Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini? Nonne anima, plùs est quàm esca? & corpus plùs quàm vestimentum? Respicite volatilia Cæli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Pater vester Cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrûm cogitans, potest adijcere ad staturam*

suam cubitum unum: & de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodò crescunt: non laborant; neq; nent. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestit? quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes; Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quô operiemur? hæc enim gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum DEI & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Status Apostolorum ante vocationem, exigebat sollicitudinem circa potum & cibum, circa victum & amictum, circa ædes & habitatiunculas quascunq; habebant, circa reparationem earum, ac quotidianam conservationem, circa dispositionem rei familiaris, & domesticæ, deniq; exigebat diligens studium circa omne illud, quidquid spectat & con-

conducit ad hãc vitam, aliquomodò rectè, & honeſtè tractandam; jam autẽ ſtatus ille Apoſtolorum ſubſequente vocatione CHRISTI, nil horum indigebat, nil horum curabat, de nulla re temporali ſollicitus erat. Sicut enim CHRISTUS Dominus ita eos vocavit, ut relictis omnibus ſequerentur eum; ita etiam in omni neceſſitate urgente, providit illis ſingula neceſſaria, ut nunquam abſolutè derelicti exiſterent.

Candide Imitator Vitæ Apoſtolicæ, ſicut Apoſtolorum, ita tua felicitas, ex Vocatione Divina principaliter proveniens, conſiſtit in libertate, à cura & ſollicitudine bonorum temporalium: quàm primùm enim vocatus es ad pacifica ſacræ Religionis limina, ſtatim eadem Religio ſuſcepit onus in ſe, te alendi, veſtiendi, reficiendi, ac totaliter providendi tibi omnia neceſſaria, ad vitam honeſtè tractandam, conducentia: tibi autem nihil aliud incumbit, niſi continuò proficere de virtute in virtutem, niſi tendere in perfectionem, & quærere animæ tuæ aliorumq;

rumq; salutem. Certè non postrema imò specialis felicitas est, habere talem qui de nobis curam agat, qui sollicitus sit de victu & amictu nostro, ac de providendis omnibus temporalibus, ad præsentem vitæ nostræ statum necessariis, specialis inquam felicitas est, non in hoc sensu; quod habeamus omnia commoda temporalia, sed potiùs in hoc, quòd dum de nobis alii curant & solliciti sunt, nos interim caremus impedimentis, à DEI servitio nos retrahentibus, non habemus tot occasiones & circumstantias dissipandi Spiritum, & fervorem conceptum in augenda regulari observantia, subducimur illicitis & falsis deliciis in vanitate bonorum temporalium apparentibus, & sic quietiùs, familiariùs, ac devotiùs mancipamur obsequio DEI.

Quòd si aliquando (ut plerumq; hac ætate contingit) non providentur tibi omnia necessaria, ad victum vel amictum sufficientia, non ideo debes statim animô cadere, tristari, murmurare, vel nimis circa te ipsum sollicitus

esse;

esse; quia hoc Religio facit, vel ideo quia ipsa non habet sufficientiám bonorum temporalium, & tunc debes illi compati, & in charitate mutuam egestatem, blandè, svaviterq; sustinere ; vel ideo ut te probet, qualiter sis exercitatus in toleranda paupertate? & tunc pariter debes hanc probationem humili animo suscipere: vel ideo hoc facit, quia non tenetur tibi dare hoc vel illud, quando tu vis, quando te sensualis appetitus incitat, sed tunc quando illi placet, & meliùs videtur: unde & in tali casu debes te voluntati Religionis subijcere, & tam diu patienter expectare, quàm diu tibi hoc, quô indiges non providebitur. Vel tandem Religio hoc facit, nimirum non providet tibi necessaria in tempore hoc fine, & motivô, ut tibi suggerat occasionem merendi, videlicet proficiendi in paupertate, patientia, ac subiectione, & tunc pariter cum magna lætitia debes occasionem meriti acceptare, ac omnem indigentiam etiam gravem submissô animô tolerare. Dices forsitan, quod si Superior consultò

ex deliberata malitia, & odio contra Personam contracto, ac nonnisi hoc fine subtrahat necessaria, ut affligat, mortificet, & deprimat subjectum? quid in tali circumstantia agendum sit? Respondeo, raro quidem tales reperiuntur Superiores, qui tali modo procedant cum suis subditis, sed frequentiùs tales inveniuntur subditi, qui propter correctionem aliquam, contrahunt contra Superiores aversionem, continuò malè de ipsis suspicantur, omnia eorum etiam bona opera, in malum interpretantur & coram alijs jactant, quòd Superiores agant contra illos ex malitia, odio, invidia. Quòd si aliquando reperiatur talis Superior, qui verè ex malitia, & ex odio Personæ subtrahat necessaria, vel aliquid aliud, tunc etiam talis Superior patienter sustinendus est: non enim hoc fine venimus ad Religionem, ut nobis quilibet Superior omnem cogitabilem commoditatē exhibeat, sed ut patiamur omne illud, quidquid nobis adversum, sive à Superioribus, sive ab aliquo alio evenerit: unde si in Religione vel omnia

commoda habebimus ad amussim, vel nihil adversum patienter tolerabimus, tunc ex una parte delicatiores erimus, quàm homines sæculares; quia hi etiam in magna fortuna, raro omnia commoda habent ex altera parte nihil proficiemus, si nihil adversi tolerabimus.

Positô autem hôc, quòd in tali existas Religione, in qua & Superior malitiosus non est, & in qua providentur tibi ordinatè, ad amussim, & in tempore, omnia temporalia ad vitam honestè & commodè tractandam necessaria; jam quæro ex te, quis est te felicior? quis te beatior? & fortunatior? quid jam tibi aliud restat de quo possis esse sollicitus, nisi honor, cultus, & gloria DEI? duo enim sunt de quibus homo potest esse sollicitus in vita sua: *1mum* est & debet omnino esse gloria DEI. *2dum* sufficientia bonorum temporalium ad vitam honestè tractandam: de hoc secundo, Vir Apostolicus nec potest, nec debet esse sollicitus, quia de his sollicita est ipsa Religio, & Superiores Ordinis, ut jam supponitur: ergo nihil aliud restat; de

quo possit esse sollicitus, nisi ipsa gloria DEI: quam debet curare proficiendo de virtute in virtutem, & satisfaciendo per omnia vocationi suæ. Si fuisses in mundo, & argueret te quispiam de negligenti ac tepido profectu in perfectione Christiana, diceres & excusares te, quòd cōtinuâ curâ & assidua sollicitudine impediaris, à prædicta perfectione acquirenda, modò per vocationem tuam jam habes istam felicitatem, quòd non impediaris sollicitudine prædicta, quia hanc in se Religio suscepit, vide igitur qualiter hac felicitate vocationis tuæ utaris? & utrum hoc ipsum pro beneficio DEI reputes? quòd per vocationem tuam assecutus sis hanc gratiam, ut ampliùs non sis, nec debeas esse sollicitus de sufficientia bonorum temporalium, quid bibas? quid comedas? quô vestiaris? ubi maneas &c: sed de his omnibus tibi providendis sollicita est Religio.

§ 9nus.

In quo proponitur 9nus fons ex quo fluit felicitas Vocationis & status Apostolici.

Nonus

NOnus fons ex quo fluit felicitas Vocationis & ſtatus Apoſtolici eſt ſecuritas & liberatio eorundem Apoſtolorum de omni periculo hujus mundi, & jugo Sathanæ. Quàm primùm enim Apoſtoli à CHRISTO Domino vocati ſunt, ſtatim ſine mora de omnibus periculis præſentis ſæculi, de vanitatibus, & illecebris mundi, de jugo Sathanæ in quo fortè antea fuerunt erepti ac liberati ſunt: verbô loquendo, de via erroris, deducti ſunt ad viam veritatis, de via minùs ſecura, ad viam tutiorem, feliciorem, & rectiſſimè ducentem, in metam ſalutis æternæ. Quâ precor viâ incedebant Apoſtoli ante vocationem ſuam? certè non aliâ, niſi hâc quâ incedebant alii tramitem rectæ ſalutis ignorantes. Sicut alii illa tantùm quærebant, quæ carni, ſenſui, voluptati, & appetitui arrident, ita & Apoſtoli ſimilia æmulabantur: ſicut alii exponebant ſe periculis mortis æternæ, concupiſcentiæ oculorum, ſollicitudini bonorum temporalium, ita hoc ipſum amabant hi, qui modò Apoſtoli ſunt, & nominantur.

Multi imò fortè omnes Apostoli ante vocationem suam sola bona temporalia quærebant, & vanitates hujus mundi, quod patet vel ex eo, quia CHRISTUS Dominus nullum ferè Apostolum ante vocationem ejus invenit penes spiritualia, sed penes temporalia, Sic Petrum & Andream invenit retia mittentes in mare. Jacobum Zebedæi & Joannem, Fratrem ejus, invenit reficientes retia; Matthæum in telonio, Paulum in persecutione Ecclesiæ, reliquos pariter Apostolos, circa alia temporalia occupatos. Non solùm autem hoc advertendum est, quòd CHRISTUS Dominus Apostolos, circa retia tum mittenda, tum reficienda occupatos invenerit, sed etiam hoc diligenter notandum, quòd illos nō alio loco, sed circa mare invenerit. Mare est res periculosa nimis, continuô procellis & decumanis fluctib9 tumens, est quoddam corpus, raró aut nunquam quietum, nunc fluit nunc refluit, nunc faciem & tranquillitatem præsefert, & jam conflictum ac bella minatur; dum est pacificum, hunc & illum

illum quodammodò invitat & allicit, ut per illud naviget, & tentet fortunam in ipso; dum autem navigat, dum illud ingreditur, subitò quodam modô irascitur, concitat fluctus, naves in Scyllas & Charybdes allidit, ad scopulos frangit, mergit & devorat, postquàm devoraverit, tandem littoribus & arenis restituit: unô verbô loquendo, mare est omnium periculorum compendium, vorago quædam viventium & non viventium, mortis proximum & semper apertum atrium, campus ille in quo rara victoria, & continua clades. Quando ergo CHRISTUS Dominus vocaturus erat Apostolos, circa tale mare illos invenit, hoc est circa locum omni periculo, inquietudini, strepitui, & discriminibus obnoxium, in quo si permansissent diutiùs Apostoli: quis scit? si non fuissent procellis illius absorpti? quis scit si in æternum non perijssent. In tam itaq; periculoso loco inventos Apostolos, vocavit ad se CHRISTVS: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum:* vocando de periculis omnibus hu-

jus maris liberavit, liberando in promontorio bonæ ſpei & littore veritatis collocavit, conſequenter quis non dicet felicem, fortunatam, beatamq́; Vocationem Apoſtolorum? vi cujus à tantis periculis eruti, & liberati exſtiterunt?

Candide Imitator Vitæ Apoſtolicæ, ſicut Apoſtolorum ita & tua felicitas, ex Vocatione Divina proveniens, conſiſtit in liberatione ab omni periculo mundi, jugoq́; & ſervitute Sathanæ, quia pariter beneficiô vocationis ejuſdem, liberatus es de periculis mundi hujus, ereptus es de jugo Sathanæ, de via erroris deductus es ad viam veritatis & ſalutis æternæ. Propone tibi ante oculos, in quantis periculis fuiſti cum viveres in ſæculo? quocunq́; te divertiſti ubiq́; ferè parata ſtabant præcipitia interitûs, ubiq́; dabantur occaſiones æmulationum, contentionum, diſcordiarum, compotationum, libidinis, duellorum, mortis, mutilationum, & aliorum ſimilium: modò autem poſt arreptam ſemel Vocationē Divinam, omnibus his periculis ſubductus es; jam non

habes in Religione, cum quo ita facilè & impunè æmuleris, contendas, discordias, compotationes, libidinem, & duella peragas: & sic à morte tam corporali, quàm spirituali remotior es. Percurre hæc omnia pericula in quibus aliquando fuisti, quando in sæculo vixisti, vg. quando fuisti in castris, in aula Principis, aut cujuscunq; alterius nobilis, vel si fuisti Minister, alicujus Regni, Statûs, Provinciæ, Regionis, Civitatis, Oppidi, &c: &c: revolve quanta ibi pericula honoris, famæ, & vitæ ipsius habuisti, aut habere potuisti? ad aulam innocens venisti, carnalis rediisti, & qui tantùm orare sciveras, ibi peccare, & libidinosas Allegorias promovere didicisti: ad castra justus venisti, nemidem violentus oppressisti, nemini quidquam eripuisti, & tuo vivere consvevisti, de vitaq; tua tutus semper fuisti, postquam autem in castris aliquot hebdomadas perdurâsti, & justitiæ oblitus es, & multis multa eripuisti, & plurimos violentè oppressisti, raptu vivere didicisti, penesq; hunc raptum alienæ

fortunæ, non semper de vita periclitatus es; & millies periisses, nisi te DEVS ad hanc Vocationem arripiendam, in qua modô existis, misericorditer conservâsset. Eadem te pericula manebât, quando fuisti Minister Regni, Senatus, Provinciæ, Regionis, Civitatis, vel cujuscunq; alterius, hi tibi invidebant prædictum Ministerium, quia illud ipsi ambiebant, alii te odiô prosequebantur, quia non ad votum ipsorum dedisti consilia, tulisti Decreta, disposuisti negotia: alii te coram Rege, Senatu, Provincia, Civitate, Magistratu diffamabant, ut te ex officio deijcerent, quia fortunæ, scientiæ, & generis conditione pares erant, non tamen dignitate Ministerii: alii ad oculum tibi sese addictissimos offerebant, & ad intra aliud cogitabant: alii tandem vitæ etiam tuæ insidiabantur, ut te de medio tollerent, quia se vivere non posse putabant, si tu diutius viveres. Tot & tanta pericula, cessârunt omnia, post inspiratam tibi à DEO, & susceptam à te Vocationem Divinam cessârunt invidiæ honoris

mun-

mundani, cessârunt insidiæ, delationes ad Regem, Senatum, Provinciam, Civitatem, &c: defecerunt impetus mortis, tibi violentô modô inferendæ! breviùs loquendo, cessavit omne periculum, quodcunq; tibi in mundo evenire poterat. Sathan ipse, qui te antea vinctum in jugo suo tenebat, debuit te manumittere, & svavi jugo CHRISTI concedere quomodocunq; voluit antea, ita te regebat: quòcunq; voluit inclinabat, modò debilior factus est, quia te armis Vocationis tuæ munitum videt.

Curat quidem ille & modò, ut te devoret, vigilat & modò ut te superet, sed non ita te facilè aggredi potest sicut antea, quia ipsum impedit, tum diligentia Superiorum, tum armatura Regulæ, Constitutionum, Statutorumq; Ordinis, tum deniq; tu ipse, qui nunc accuratiùs, modestiùs, & sanctiùs vitam tuam componere studes; aut saltem debes, etiamsi nolueris. Vix pestifero Spiritu suo afflavit te Sathan in vita sæculari degentem, statim flatum

ejus, tanquam arundo ſequebaris; provocavit te ad gulam, libenter obediebas; excitavit ad ebrietatem, minimè reſiſtebas, tentavit ad libidinem, cæco impetu ruebas; ſuggeſſit injuſtas furoris cauſas, & iraſcebaris; ex ira autem odium contrahebas, contractum diu fovebas: nunc poſtquam Vocationem Divinam ſecutus fueris, non poteſt nec audet tantum, quantum antea. Debilitato ſic Duce omnis erroris & falſitatis, deductus es adminiculò ejuſdem vocationis, in viam veritatis & ſalutis æternæ. Principia & dogmata Sathanæ ſunt, fortunam & divitias quàm maximas colligere, nemini obedire, ſed omnibus dominari, carni commoda, voluptates, & delicias concedere; ſed hæc omnia, errores ſunt apertiſſimi, CHRISTI conſiliis repugnantes: principia item Sathanæ ſunt, alios poſtponere, coram nullo humiliari, primatum inordinatè ambire, honores quærere, pares de medio tollere, de inimicis vindictam ſumere, vicem pro vice reddere &c: ſed hæc omnia evidenti falſitate

labo-

laborant; tu ergo postquam Vocationem Divinam amplexus fueris, de his & aliis erroribus, in viam veritatis & salutis æternæ deductus es, à qua si nunquam recesseris, nunquam errabis. Quoniam igitur tot & tanta beneficia, profluxerunt in te ex arrepta vocatione Divina, nonne igitur felix es per eandem Vocationem Divinam? nonne magna felicitas tua est, quòd vocatus sis à DEO ad hunc statum Religiosum quem modò profiteris? Admirare igitur incomprehensibilem circa te misericordiam Divinam! & cogita quomodò tantum beneficium DEI gratificari valeas!

§ 10mus.

In quo proponitur 10mus fons ex quo fluit felicitas vocationis & status Apostolici.

DEcimus fons ex quo fluit, & in quo consistit felicitas vocationis statusq; Apostolici, sunt privilegia specialia, prærogativæ jura, & gratiæ concessæ singulis divisim Apostolis: Sic post Vocatio-

tionem dedit CHRISTUS Dominus Petro, claves Regni Cælorum, eumq; Principem Apostolorũ & Ecclesiæ cõstituit, juxta illud Scripturæ: (a) *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Paulum creavit, & ore suo promulgavit vas electionis, juxta illud Scripturæ: (b) *Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram Gentibus.* Item rapuit eum usq; ad tertium Cælum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. JACOBO Minori Patriarchæ Ordinis Nostri concessum est privilegium ut Sancta Sanctorum continuò ingrederetur, & ut esset Primus CUSTOS Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri CHRISTI Domini: (sicut enim fuit primus Episcopus Hierosolymitanus, ita & primus CVSTOS Sacrosãct: Sepulchri) Andreæ ut in Cruce pro CHRISTO moreretur, Judæ Thadæo ut esset Patronus periclitantium de bona fama, Thomæ ut videret aperta vulnera CHRISTI. Joanni dedit speciale privilegium, recumbendi in pectore suo,

(a) *Matth:* C. 16. V. 18.
(b) *Actorum* C. 9. V. 15

tem-

tempore ultimæ cænæ juxta illud Scripturæ: *qui & recubuit in cæna super pectus ejus.* Item eidem Joanni revelavit multa arcana recondita, ut de ipso canit Ecclesia: *Iste est Ioannes qui supra pectus Domini in cæna recubuit, beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cælestia, fluenta Evangelij de ipso Sacri Dominici pectoris fonte potavit.* Item eidem Joanni datum est privilegium hoc, quòd tanquam Aquila omnibus Evangelistis altiùs per doctrinam suam evolaret, juxta Augustinum dicentem: (a) *In quatuor Evangeliis, vel potius quatuor libris uniùs Evangelii, Sanctus Ioannes Apostolus, non immeritò secundum intelligentiam spiritualem Aquilæ comparatus, altiùs multóq; sublimiùs aliis tribus erexit prædicationem suam, & in ejus erectione, etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, & de Divinitate ejus paucá dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solùm super terram, & super omnem ambitum aëris &*

(a) *S. Aug: Tractatu 36. in Ioannem.*

Cæli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemq́ conſtitutionem inviſibilium Poteſtatum: & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, & DEVS erat Verbum. Huic tantæ ſublimitati principii, etiam cætera congrua prædicavit; & de Domini Divinitate, quomodò nullus alius eſt locutus: hoc ructabat quod biberat.* Et inferius ſubdit idem Auguſtinus: *Aquila ipſe eſt Ioannes, ſublimium prædicator, & lucis internæ atq́ externæ fixis oculis contemplator.* Sed meliùs ſpeciale privilegium Joannis patet ex eo, quòd dum Petrus videns eum, interrogâſſet CHRISTUM: *Domine hic autem quid?* Reſpondit CHRISTVS Dominus: *Sic eum volo manere donec veniam quid ad te?* Aliis pariter Apoſtolis, ſpecialia conceſſit CHRISTVS Dominus privilegia, ſed quia in decurſu ulteriori hujus libri ſeorſim attingentur, ideo ab illis enumerandis abſtineo. Pariter poſſent adhuc plura oſtendi ex quibus magis pateat felicitas Vocationis Apoſtolicæ,

ſed

teat felicitas Vocationis Apostolicæ, sed quia infra ex professo de illis tractabimus ?ideo hîc illis non immoramur.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, sicut Apostolorum, ita omnium Virorum Religiosorum felicitas consistit in hoc, quòd illis omnibus Vocationem Divinam amplectentibus, specialia jura, privilegia, & prærogativas tribuere soleat DEUS Optimus Maximus, & jam plurimis defacto tribuit; sic Magno Augustino vitæ Regularis & Apostolicæ Imitatori ac Professori zelantissimo, dedit privilegium hoc quòd ad mentionem seu commemorationem ac prolationem Sanctissimæ TRINITATIS, cor ejus etiam post mortem, à terra sursum exsilire & elevari soleat: item dedit ei privilegium lachrymarum pro peccatis in oratione fundendarum, item dedit ei privilegium admirabilis scientiæ, per quam profundissima sacrarum Scripturarum arcana, ita feliciter exposuit, ut ejus doctrina & expositio ab Universali Ecclesia in Oecumenicis, & Generalibus Conciliis, pu-

blicè ſuſcepta, & acceptata fuerit, tandem inter alia dedit ei DEUS Optimus Maximus hoc privilegium, quòd plurimæ Sacræ Religiones tam Canonicæ, quàm Mendicantes, ejus Regulam, tanquam Apoſtolicam ſibi elegerint, & ad imitandum propoſuerint. Omitto alia privilegia & gratias, quæ DEUS Viro Apoſtolico Auguſtino indulſit, poſtquam Vocationem ejus & Vitam Apoſtolicam, complexus fuerit. Quid dicam de alijs Viris Religioſis Vocationem Divinam ſequentibus? & his ſinè dubio, innumera DEVS contulit privilegia, quàm primum Vocationem ejus ſecuti ſunt, ſic S. Dominicò olim Oxomenſis Eccleſiæ Canonico Regulari, & poſtea Ordinis Prædicatorum Fundatori conceſſit virtutem convertendi hæreticos. S. Franciſco Seraphico Ordinis Minorum Fundatori impreſſit Sacra Stigmata, vulnerum CHRISTI rememorativa, S. Ignatio Societatis JESV Fundatori, infundit ardentiſſimum deſiderium ſalutis animarum: ita ut auditus eſſet aliquando dicere,

Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inservire & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ, statim mori. Hæc & alia innumera tribuit DEVS privilegia Sanctis Religionum Fundatoribus, vocationem suam amplectentibus, quanta verò & quot dedit cæteris Viris Religiosis, horum Fundatorum Filiis, suam vocationem sequentibus; sæculorum negotium est, illa numerare; conservantur in Archivo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, habentur in Annalibus, retinentur in memoria piarum mentium, proinde quantum potes propone tibi ex illis aliqua, saltim majora & specialiora, qualia vg. dedit DEVS S. Hyacintho, Antonio, Stanislao Kostcæ, Stanislao Casimiritano Congregationis Cracoviensis Canonico Regulari Lateranensi multorum infirmorum medico mirifico & Auxiliatori felicissimo: Michàéli Giedroicio Ordinis Beatorum Martyrum de Pænitentia, Viro perfectionis Religiosæ studiosissimo magis virtute, quam genere Principi, aliisq;

innumeris Viris Religiosis, postquã autem tibi illa proposueris, & pie recogitaveris, lauda in his omnib9 DEUM, esto pariter fidelis comes vocationis Divinæ, ut similium privilegiorum Divinorum particeps fias.

Quanquam si te ipsum respicias; jam ipsô factô multorum privilegiorum DEI ac Religionis factus es particeps, quam primùm Vocationem Religiosam amplexus es; privilegium enim nihil aliud est, nisi quædam specialis gratia concessa à DEO vel à Sancta Sede Apostolica, vel tandem ab aliquo alio potestatem habente privilegia conferendi; certè quamprimùm Sanctam Religionem amplexus es, non unam sed innumeras gratias DEI, easq; speciales accepisti, tum in actu solennis professionis, tũ in aliis piis exercitiis statui regulari convenientibus. Quælibet enim Religio curat hoc, ut aliquibus specialibus à Sede Apostolica donetur privilegiis, & nulla talis est, quæ aliquod à dicta Sancta Sede Apostolica privilegium non habeat; Religio hæc

quam

quam modo profiteris, notum tibi est, quot & quæ jura, privilegia, immunitates, & prærogativas habeat: tu horum, & harum omnium in actuali votorum omissione factus es particeps, etiamsi pro illis acquirendis & obtinendis nihil laboraveris. Proinde quantum à DEO & Religione ex vocationis occasione accepisti, tantùm etiam reddere studeas.

CAPUT V.

In quo proponitur Exemplar signorum Vocationis Apostolicæ, & cujuscunq; alterius, in communi.

EXposita qualitate & fine Vocationis Apostolicæ, restat adhuc exponere signa vocationis tum eorundem Apostolorum, tum aliorum omnium, qui à DEO vocantur, ut ex his cognitis signis, cognoscant utrum verè à DEO vocentur. De his ergo signis duobus Paragraphis, agemus.

§ 1mus.

In quo proponuntur Signa Vocationis Apostolicæ.

Signa Vocationis cujuscunq; duplicia cogitari possunt, alia externa, alia interna. Externa sunt illa, quæ ex placito DEI, aliquo opere externo significant, & manifestant nobis Vocationem ejusdem DEI: qualia signa sunt vg. miracula, item locutiones & apparitiones Divinæ extraordinariæ. Signa interna sunt illa; quæ nobis per internos motus significant Vocationem Divinam, & excitant ad eandem sequendam: talia signa sunt vg. Sanctæ illustrationes intellectûs, item gratiæ prævenientes, excitantes &c: Signa ergo externæ vocationis Apostolicæ (omissis interim aliis) possunt assignari duo, *1mum* erant virtutes & miracula, quæ CHRISTUS Dominus faciebat præsentibus Apostolis: ut colligi potest ex S. Hieronymo: contra Porphyrium & Julianum Augustum dicente: (a) *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Juli-*

(a) *Lb: 1mo Côment: in Matth: Caput 9.* *anus*

anus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem; quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti: cum tantæ virtutes tantaq; signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est.

2dum signum Vocationis Apostolicæ, erat fulgor & Majestas Divinitatis latentis in CHRISTO Domino: & hoc apertè docet idem S. Hieronymus locô citatô, dum inquit: *Certè fulgor ipse, & Majestas Divinitatis occultæ, quæ in humana facie relucebat, ex prima ad se videntes trahere poterat aspectu.*

Ex his primum signum vocationis non erat commune omnibus Apostolis, quia Petrus & Andreas absq; ullo prævio miraculo secuti sunt CHRISTVM vocantem, ut testatur Sanctus Gregorius Papa Homilia 5. in Evangelia: *Auditis Fratres charissimi, quia ad unius jussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem: nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant: nihil ab eo de præmio æternæ retri-*

butionis audierant, & tamen ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt.

2dum signum Vocationis Apostolicæ erat commune omnibus Apostolis; sicut enim omnes habebant sibi CHRISTUM Dominum præsentem tunc, quando illos vocavit, ita etiam congruum est, quòd fulgorem & Majestatem Divinitatis occultæ aliquandò videbant, & hac visione ipsius ænigmatica, trahebãtur, mirabiliter ad illum sequendũ.

Signa autem interna Vocationis Apostolicæ, erant motus interni intellectûs & voluntatis Apostolicæ, à DEO excitati & inspirati, accendentes intellectum & voluntatem Apostolicam, ad sequendam Vocationem CHRISTI.

Candide Imitator Vitæ Apostolicæ, sicut Apostolorum ita & tuæ Vocationis primum signum sunt quotidianæ virtutes & miracula, quæ DEUS propter nos continuò patrat: proinde sicut Apostoli visis miraculis sine mora secuti sunt CHRISTVM vocantem, ita & tu pari promptitudine eundem sequere.

quere. Quòd si dicas & opponas, te à tot annis in mundo vivere, & nullum miraculum te præsente factum esse; audi quid dicat Doctor Ordinis Nostri Augustinus: (a) *Quia enim ille, nō est talis substantia, quæ videri oculis possit. & miracula ejus quibus totum mundum regit, universamq; creaturam administrat assiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere opera DEI mira & stupenda, in quolibet seminis grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemq; naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est, gubernatio totius mundi, quam saturatio quinq; millium hominum de quinq; panibus. Et tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia minus est, sed quia rarum est!* Ex hoc Sancti Doctoris textu manifestum habes, quòd etiam nunc, & quotidie faciat DEVS miracula propter nos ad se vocandos, trahendos, & alliciendos;

(a) *Tractatu 24. in Ioannem.*

sed quia illa continuò fiunt, hæc ipsa continuatione & assiduitate ita viluerunt apud nos, ut ea fieri non advertamus; & ita nos respectu illorum gerimus, acsi nunquam fierent. O verè si multi nostrûm Vocationem illam DEI, vi cujus inclinati sumus ad amplectendam hanc Religionem, ponderaremus, & pericula illa de quibus liberati sumus pensaremus; innumera circa nos miracula facta esse testaremur. Quare saltim aliquando excitemus in nobis advertentiam miraculorum & quotidianorum prodigiorum DEI! & statim ab hodierno instanti discamus æstimare, quod hactenus saltim inadvertenter negligebamus.

Quodsi continuis & quotidianis miraculis DEI non movemur, intueamur fulgorem & Majestatem Divinitatis occultæ in CHRISTO Domino nos vocante: *Respice in faciem CHRISTI tui!* & vide *quia melior est dies una in atriis* DEI ac Religionis *super millia* dierum in mundo transactorum. Concludas ergo cum Propheta & protestare coram

DEO: *elegi abjectus esse in Domo DEI mei*, & Religionis, *quàm habitare in tabernaculo peccatorum*. Respexit olim Joannes Gvalbertus faciem CHRISTI Crucifixi, & CHRISTVM se mirabiliter vocantem agnovit, statimq; eum secutus est: utinam & tu ita respicias eandem faciem CHRISTI, utinam ita videas fulgorem & Majestatem Divinitatis occultæ in Sacrosancto Eucharistiæ SACRAMENTO, ut illâ per fidem visâ statim sequaris instinctum DEI te vocantis. Quod ut faciliùs obtineas, multùm ad hoc proderit observare quamlibet sanctam supernam illustrationem intellectûs, & piam affectionem internam voluntatis tuæ: sanctæ enim illustrationes & piæ affectiones, sunt signa interna Vocationis Divinæ, per signa autem interna frequentiùs nos DEVS vocat quàm per externa; quia signa interna sunt in ordine supernaturali connaturaliora ad movendas potentias animæ nostræ, quàm externa ut communiter docent Theologi. DEVS verò Optimus Maximus ad nos movendos ordi-

ordinariè utitur mediis connaturalioribus & nos perficientibus ab intrinseco ut pariter docent iidem Theologi: signis verò & mediis externis tunc solùm utitur quando nihil proficiunt interna. Cæterum ad nos spectat ut non expectemus signa & media externa Vocationis Divinæ, cum præsto habeamus interna, ne nobis dicatur aliquādo: *Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo; cum vobis id, quod timebatis advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent & non invenient me: eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consiliis saturabuntur. aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.*

§ 2dus.

§ 2dus.

In quo proponuntur signa Vocationis Divinæ in communi.

Signa Vocationis Divinæ in communi possunt assignari hæc: primum est extraordinaria revelatio DEI, quâ DEUS Optimus Maximus revelat alicui, quod velit ipsum in hoc, aut in illo statu Religioso existere. *2dum* est oblatio liberorum facta à Parentibus, vel ante nativitatem illorum ut feliciter nascantur, vel post nativitatem ut prosperè vivant & conserventur; unde qui à Parentibus ante usum rationis oblatus est DEO, ad hunc vel illum statum Religiosum si à DEO daretur, & sterilibus Parentibus nasceretur, non debet resistere huic oblationi Parentûm, sed etiam in obedientia filiali implere, quia DEVS plerumq; eo fine denegat & subtrahit Parentibus prolem, ut eam à DEO specialiter impetrare studeant, & impetratam ut offerant ad obsequium DEI. Sic DEVS Annæ; denegavit ab initio prolem tandem illam con-

cessit, postquam ita petièrit sibi dari prolem, ut si daretur ei, statim illam oblatura esset ad obsequium DEI. *3tium* signum vocationis est quando Parentes Filios aut Filias suas, investiunt hoc aut illo habitu Religionis, optantes sibi, ut postquam ad usum rationis perfectum devenerint, eundem habitum & Religionem amplectantur: proinde qui taliter investitus est; non debet temerè dictum habitum abijcere aut injuriosè postponere; sed debet recurrere per orationes ad DEUM, ut ipsi manifestet voluntatem, & accendat cor ejus ad hunc vel illum statum arripiendum. *4tum* signum Vocationis Religiosæ est consilium Parentûm, Professorum, Magistrorum, Patrum Spiritualium, Confessariorum, &c: dari solitum alicui, ut hãc determinate & non aliã Religionem amplectatur, per hos enim loquitur DEUS nobis, ut cognoscamus voluntatem ejus. *5tum* signum solent esse somnia frequentia de aliqua Religione, & de facto DEUS Sanctum Josephum cæterosq; innumeros per somnum vocavit.

6tum

6tum Signum Vocationis Religiosæ est notabilis disgustus, molestia, & continua amaritudo de illo statu sæculari, in quo existis. DEVS enim frequenter eo fine permittit, super homines in statu sæculari, prædictas molestias & amaritudines, ut sibi alium statum Deo placitum quærant, & ex quo salutariter fiant contenti. *7mum* Signum Vocationis est inclinatio, & propensio continua ad hanc vel illam Religionem, & quidem talis, ut vi illius malit aliquis in hujus Religionis vg. templo, Oratorio &c: orare, conversari, concionib9 adesse, quàm alterius. Item quando aliquis habet talem inclinationem ad aliquam Religionem, ut habeat complacentiam in illa frequenter visitanda, in spectandis illius Religiosis, eorumq; devotione, conatu, habitu, aliisq; moribus, motibus, & piis onversationibus eorum. Et taliter vocavit DEUS Beatum Fulgentium, ut de illo testatur Surius dicens: (a) Monasteriorum svavissimos greges frequentiùs, visitans,

servo-

(a) in Vita ejusdem S. Fulgentii Mense Ianuarii.

ſervorum DEI mores propoſitumq; diſcebat. Inter abſtinentes nulla eſſe gaudia ſæculi, ſed nulla eſſe etiam tædia ſentiebat. In ſumma abſtinentia viventes videbat, neminem calumniatorem timere, ſed ſe invicem diligere. Conſiderabat etiam multos adoleſcentes, perpetuæ continentiæ deditos, ab omni poſſe abſtinere concubitu. Talibus apud ſemetipſum cogitationibus fluctuabat, atq; in hæc verba prorumpens, cur obſecro, (ajebat) ſine ſpe futurorum bonorum laboramus in ſæculo? quid nobis aliquando præſtare poterit mundus? ſi gaudere deſideramus? licèt meliùs ſit bene flere, quàm malè gaudere, quantò meliùs tamen gaudent, quorum ſic, in DEVM tranquilla eſt conſcientia, quos minimè terret exactoris improbi violentia; qui nihil timent niſi peccata, nihil agunt, niſi undè poſſint Divina implere mandata? non fatigantur publicis excurſibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miſerabiliter, aut flere deformiter: operantes manibus ſuis, non adverſantur utilitatibus alie-

alienis. Vivunt inter ſe pacifici, ſobrii, mites, humiles, atquè concordes. Nulla illis cura libidinis! imò magna ſollicitudo & jugis cuſtodia caſtitatis. Imitemur laudabiles Viros, arripiamus hanc bene vivendi conſtantiam. Sit nobis utile, quod gratia revelante meruimus meliora cognoſcere. Abijciamus priſtinos mores, & mutemus labores. Nitebamur priùs inter amicos nobiles, apparere nobiliores: nitamur ergo inter ſervos DEI pauperes, effici, pauperiores. Si còâcti ſumus exigere debitores, conemur modo convertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus, efficere CHRISTVS Dominus noſter Magiſtros Eccleſiæ. De telonio enim vocatus eſt Matthæus, ut Apoſtolus fieret. Neq; nos iſtius exactoris honori, perſonam convenire credamus noſtram. Sed ille depoſitô officiô exactionis, accepit officium prædicationis: mihi non licebit poſt depoſitam procurationem, pœnitentis aſſumere lamentationẽ? Refugium noſtrũ DEVS eſt: nulla de ætatis imbecillitate

nascitur excusatio. Potens quippe est DEVS, qui dat continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in Monasteriis vivere, mihi quoq; peccatori similem gratiam donare. His & aliis similibus ex occasione frequentatorum Monasteriorum, & spectatæ pietatis observantiæq; Religiosæ, animabat seipsum Fulgentius! & factum est, ut hanc piam animationem sui ipsius, DEVS clementer respiceret, eumq ad statum Religiosum vocaret ut defacto vocavit. Si ergo & tu habes piam complacentiam in frequentandis Monasteriis, visitandis Collegiis, spectandisq; moribus Virorum Religiosorũ, horum aut illorũ, valde probabile signum est, quòd te Deus velit vocare ad illam Religionẽ, in cujus visitatione specialiter tibi complaces.

Octavum Signum Vocationis Divinæ, est extraordinaria denegatio concursus Divini, vel positiva impeditio DEI ne opus aliquod majoris momenti jam inchoatum, perficiamus: hoc est, tunc signum est; quod DEVS vocet nos ad aliquid aliud, vel aliô modô facien-

ciendum, quando nobis vel inſperatè ſubtrahit vires ad perficiendum opus noſtrum à nobis inchoatum, vel quando nos ita poſitivè impedit ab illo perficiendo, ut abſolutè ſubſiſtere debeamus, & ſpectare quid nobiſcum DEVS ulteriùs facturus ſit. Et tali modo vocavit Heraclium DEVS, ſeu ſignificavit qualiter ſe deberet gerere in deportanda Cruce ad montem Calvariæ: dictus enim Imperator cum Crucem illam, in qua CHRISTVS Dominus pro ſalute omnium mori voluit, in apparatu, ſplendore, & veſtitu Cæſareo vellet deferre, extraordinariè ſubſiſtere coáctus eſt in porta quæ ad Calvariæ montem ducebat. (a) Quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Cumq; ea re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias Jeroſolymorũ Antiſtes, vide (inquit) Imperator, ne iſto triumphali ornatu, in Cruce ferenda parum IESV CHRISTI paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius abjecto am-

(a) *Breviariũ Romanũ in feſto Exaltationis S. Crucis.*

plissimo vestitu, detractisq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reliqvum viæ facilè confecit, & in eodem Galvariæ loco, Crucem statuit, unde fuerat à Persis asportata. Tali modo & signo vocavit DEVS ad fidem & illos Ægypti Gentiles incolas, qui in circuitu S. Apollonii in decem villis manebant (a) hi enim dum ministerio suorũ Sacerdotum gentilium, circumferrent per campos idolum suum, DEVS Optimus Maximus ad preces S. Apollonii, omnes eos qui cæremoniis Dæmoniacis assistebant, cum simulacro suo stare fecit immobiles ita, ut nec progredi omnino possent. Cumq; sic per totam diem flagrantissimis adusti æstibus permanerent immoti, & ignorarent unde eis hærere in uno lòco tam immobiliter contigisset, Sacerdotes eorum fecerunt adversionem & suspitionem super Sanctum Apollonium, quod ipse hæc fecerit. Mittunt itaq; Legatos ad Sanctum Apollonium, petunt liberationem, spondent credere in Christum si eos à tanto periculo liberaverit, audita

(a) *In Vita ejusdem S. Apollonii.*

dita hac legatione S. Apollonius, descendit ad eos, precibusq; suis à dicta immobilitate resolvit: quô visô omnes illi decem villarum incolæ, conversi sunt ad fidem CHRISTI. Eodem pariter modò significavit DEVS Regi Luitprando, (a) ut prædium Savinariense DEO & Ecclesiæ perpetuò donaret; nam cum corpus B. Augustini de Sardinia ad Civitatem Papiensem deferretur, ubi ad prædium quoddam agri Dertonensis Savinariense nuncupatum pervenerunt, ita immobile constitit, ut nullo posset loco dimoveri, donec monente Gratiano Episcopo Navariæ Rex vovit, si DEVS Corpus B. Augustini Ticinum deferri permitteret, ipsum prædium Savinariense DEO & Ecclesiæ B. Petri perpetuò donaturũ. Quod votum cum persolvisset, nullô impedimentô sacras illas reliquias, statim distulerunt fideles ad locum intentum.

Hôc per omnia modô procedit frequenter nobiscum DEVS Optimus Maximus; nos disponimus hæc & illa facere,

(a) *In Officiis Ordinis Nostri in Festo Translationis S. Augustini.*

cere, ordinamus illuc iter longum suscipere, ad limina Apostolorum peregrinari, statuimus nobis hæc & illa construere, moliri; ædificare &c: &c: & hæc omnia quæ præmeditati sumus, plerumq; inchoamus; tandem quid facit nobiscum DEVS Optimus Maximus? ecce in hoc ipso instanti, quando opus inchòámus vel perficimus, subtrahit nobis concursum suum, vel nos impedit absolutè ab ipso perficiendo ita ut omnino subsistere debeamus, & tanquam simulacra inanimata, hærere immobiles. Hæc extraordinaria & insperata DEI dispositio, quandocunq; evenit non est negligenter prætereunda, sed diligenter spectanda voluntas DEI, & suppliciter petenda, ut nobis significet quid à nobis in dato casu velit; quandocunq; enim DEVS extraordinariè nos impedit, ab aliquo opere notabili etiam bono, signum est quòd non hoc, nec tali modo velit fieri aliquid, sicut nos facimus; adeoq; in dato casu recurrendum est ad orationem, petendo ut nobis DEVS manifestet voluntatem suam,

suam, & doceat nos, quid velit à nobis
9num Signum Vocationis Divinæ
est, quando DEVS Optimus Maximus
non solùm facit nos in loco immobi-
les, ut subsistamus ab opere inchoato,
sed quodammodo apertè retrudit, ex-
cludit, & propellit nos, ab aliquo o-
pere etiam sacro participando. Et ta-
liter DEVS vocavit MARIAM Ægy-
ptiacam, nam quando venit Sanctæ
Exaltationis pretiosæ Crucis Festivitas,
illa quidem sicut & priùs, præibat ju-
venum illaqueans, & capiens animas.
Vidit autem primô diluculô omnes ad
Ecclesiam unanimiter concurrentes:
abiit & illa currens cum properantibus,
& venit cum illis in atrium Templi. Et
cum venisset hora Exaltationis Domi-
nicæ Crucis, impingebat & impingeba-
tur repellebaturq; quodammodò fe-
stinans ingredi cum populo obnixè usq;
ad januam templi, cum his qui ingre-
diebantur: tamen cum magna laboris
tribulatione appropinquabat & illa in-
felix. Quando autem januam ingredi
volebat, illi quidem omnes sine impe-

Z 4 dimen-

dimento ingrediebantur: MARIAM verò Ægyptiacam Divina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum. Mox igitur repulsa ejiciebatur foras, & ejecta sola inveniebatur in atrio stans. Considerans autem per muliebrem impotentiam sibi hoc evenire, iterum se aliis miscendo, vim sibi quodammodò faciendo introeundi, sed nimirum laborabat in vacuum, ut etiam limina vestigió contingeret, omnes interiùs recipiebantur, nullum impedimentum habentes, ipsam autem solam non recipiebant, sed quasi multitudo militaris effecta, ut ingredienti illi aditum clauderet, ita eam repentina virtus quædam prohibebat, & iterum inveniebatur in atrio. Hæc ter, & quater passa, facere conans, & nihil proficiens, desperans de cætero, & ampliûs nusquam progredi valens! (factum quippe fuit corpus illius à vi comprimentiũ valde confractũ) recedens itaq; inde, & in angulo atrij constitit, & vix in cogitationem reduxit sibi quam ob causam prohibebatur videre vivificum

lignum

lignum Crucis. Tetigit itaq; mentem, & oculos cordis ejus intellectus salutis recogitans quia squalida actuum suorum scelera, ei introeundi aditum obserabant. Post hæc igitur compuncta est, cœpit dolere, flere, lachrymari, & Beatissimam Virginem MARIAM (cujus ibi aspexerat Imaginem) suppliciter exorare, ut pro ea interveniret, obtinuit quod petivit, ausa est intrare templum, & jam absq; omni impedimento admissa est, adorare vivificum S. Crucis lignum; & tandem tangente DEO cor ejus, in solitudinem secessit, ubi tantùm profecit, quantùm postea ejus Sanctitas declaravit.

Quod factum cum MARIA Ægyptiaca, hoc plerumq; fit nobiscum; intendimus hoc & illud negotium aggredi, tentamus hunc & illum statum amplecti, & interim dum vota nostra & desideria actualiter exequi volumus, sentimus in conscientia nostra quandam vim repulsivam, experimur in corde nostro quendam disgustum, difficultatem, molestiam, & tædium, hæc omnia

 nihil

nihil aliud sunt, nisi signa Vocationis Divinæ, quibus DEUS avocat nos ab hoc statu sæculari, quem nos volumus inire, & vocat nos ad alium statum, de quo nos nec cogitavimus.

11mum Signum Vocationis Divinæ est etiã hoc, quando aliquis, vg. Superior Religionis, per accidens & per modum joci (hoc est non cum hac intentione deliberata, ut persvadeat vitam religiosam) innuit alicui de ingressu Religionis, quærendo vg. ex ipso utrum diligit Religionem? utrum ipsi placent hæc omnia quæ videt fieri intra Portam &c: &c: Et taliter vocavit DEUS S. Eufraxiam adhuc planè infantem; (a) huic Abbatissa cujusdam Monasterii, tentando eam dixit: Eufraxia diligis ne Monasterium nostrum & omnes Sorores? Illa respondit: Etiam Domina diligo vos. Dixit ei Abbatissà rursum cum joco. Si nos diligis? esto nobiscum in nostro monasterio: cui infantula dixit: verè si non contristatur Mater mea, ulteriùs non egrediar de loco isto. Cui Abbatissa dixit: inter nos, & Spon-

(a) *In Vita S. Eufraxiæ.*

& Sponsum tuum, quem plùs amas? Eufraxia dixit: neq; illum novi, neq; ille me, vos autem novi, & vos amo. Dicite mihi; vos autem quem diligitis, me an illum? illæ verò dixerunt, nos te diligimus, & CHRISTVM nostrum. Puella verò respondit, ego verò & vos diligo, & CHRISTVM vestrum. Sedebat verò Eufraxia Mater ejus, & flumi-num lachrymarum ejus non erat modus, libenter enim audiebat verba Puellæ Abbatissa, quia cum esset ætate infantula, talia loquebatur, nondum enim septem annos impleverat, dum cum Abbatissa loqueretur hujuscemodi verba. Tunc ingemiscens Mater & amare deflens, ad Filiam suam dixit: Filia mea veni, pergamus ad domum, quia jam vespera est. Cui Puella dixit: ego hic maneo cum Domina Abbatissa, tunc dixit Abbatissa Puellæ: Vade infantula in domum tuam, non potes hic manere, non quisq; manere potest hîc, nisi se devoverit CHRISTO. Cui puella respondit: ubi est CHRISTVS. Illa gratanter ei Dominicam Imaginem demon-

monstravit, pergens autem Eufraxia osculata est Dominicam figuram: & conversa dixit Abbatissæ: vere & ego voveo me CHRISTO meo, & ulteriùs cum Domina mea non vado. Et cum jam vespera esset, & multùm Mater ejus còégisset atq; Abbatissa ut ambularet, nequaquam potuerunt eam tollere de Monasterio. Multùm ergo crebris diebus Mater ejus, atq; Abbatissa ei blandiebantur, & persvadere nequiverunt, ut de Monasterio potuisset eam revocare. Novissimè vero dixit Abbatissa puellæ; Filia si vis hìc permanere, literas debeas discere & Psalterium, & usq; ad vesperam debes jejunium ducere, sicut universæ Sorores. Puella dixit eis ego & jejunium, & omnia disco, solummodò dimittite me hìc esse.

Ex hac tota Vocatione S. Eufraxiæ, habente occasionem ex jocosa & per accidens facta tentatione, discamus quod etiam jocosas intentiones & persvasiones de amplectenda Religione postponere non debeamus: sicut enim

enim jocosæ tentationi hujus Abbatis-
sæ, alligavit DEVS, gratiam ut ex oc-
casione illius vocaretur infans Eufraxia
ad vitam religiosam, ita quis scit? si &
vocationem nostram non alligavit DE-
US simili persvasioni factæ per acci-
dens, & per modum joci?

IImum Signū Vocationis Divinæ ad
statū religiosum est insperata infirmitas
contingens alicui: cum enim nos integra
sanitate gaudemus, parùm aut nihil de
ulteriori vitæ melioris progressu cogi-
tamus: DEVS ergo ut nos ad hanc
cogitationem excitet, permittit ple-
rumq; super nos varia infirmitatum
genera; ut his castigati, citiùs altiora
cogitemus, & ad superna vitæ perfe-
ctionis incrementa disponamur. Cum
de Canonisatione S. STANISLAI Episco-
pi Cracoviensis fieret Assisij cōsultatio,
inter alios adversabatur causæ ejusdem
Sancti Reinholdus Cardinalis Ostien-
sis, Vir primæ authoritatis; DEVS
Optimus Maximus in prædictum Vi-
rum permisit gravem & lethalem mor-
bum, quo perseverante Divus STANI-

SLAUS apparet in somnis præfato Cardinali, indignè illum facere docet, quòd DEI resistat voluntati: excitatus senex, Divo STANISLAO se commendat, convalescit, & tandem causam à se oppugnatam defendit. Eadem ratione procedit nobiscum DEVS: consulitur nobis à multis conversio ad vitam Religiosam, proponitur utilitas, finis & Sanctitas status regularis, nos his omnibus resistimus, contradicimus, & opponimur: cumq; in hac resistentia perseveramus, DEVS qui vult omnes salvos fieri, permittit in nos, graves plerumq; & acutos morbos, quibus nos per aliquod tempus mortificati, tandem ad veram & perfectam cognitionem deducimur, illaq; bene apprehensâ, ad eligendum statum religiosum provocamur.

12mum Signum Vocationis Divinæ est plerumque notabilis amissio fortunæ & honoris. Fortuna & honor sunt duæ fortissimæ catenæ, quibus nos Dæmon, ita fortiter alligat mundo, ut nullatenus ab eo separari

valea-

valeamus: DEVS ergo noster uti mi-
sericors Pater, ne miserè pereamus ab-
scindit has duas catenas à nobis, reci-
pit fortunam quam dedit, adimit ho-
norem quem liberaliter contulit; & tan-
dem sensim per recogitationem miseriæ
nostræ ex occasione bonorum tempo-
ralium nobis ablatorum, ingerit cogi-
tationem de statu religioso, & hæc faci-
liùs nos pungit in miseria, quàm in a-
bundantia. Et certè si tot milliones Mo-
nasteriorum revideremus, innumeros
ex occasione ablatæ fortunæ & hono
ris, statum religiosum arripuisse cerne-
remus. Et jam hactenus dicta de Vo-
catione Divina & Apostolica sufficiant;
de probatione Apostolica, restat altera
Pars imprimenda jam in scriptis pa-
rata, si DEO Optimo Maximo
placuerit, cui soli Honor
& Gloria.

Protestatio Authoris.

SIcut firma fide credo quod San-
cta Romana Catholica & Aposto-
lica

lica Ecclesia sit infallibilis Interpres & Judex omnium veritatum in quacunque materia adscribilium, ita quæcunque hic dicta sunt, omnia volo intelligere juxta sensum ejusdem Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ, illiusq; Supremo Judicio omnia subijcio.

FINIS



Errata sic corrige.

CAPUT I.

pag. 10. utem *lege* autem
pag. 9. sal *lege* saltim
pag. 14. me itis *lege* meritis
ibid. coæt rno *lege* coæterno
pag. 24. prop er *lege* propter
pag. 40. oræcipuum *lege* præcipuum
pag. 49. recti s *lege* rectiùs
pag. 50. consendit *lege* conscendit
pag. 56. cogi abili *lege* cogitabili
Ibid. Spiri u *lege* Spiritu
pag. 58. M nisterium *lege* Ministerium
pag. 59. æculi *lege* sæculi
pag. 62 ad fi: in tione *lege* inflatione
pag. 63 in lari *lege* instari

CAPUT II.

pag. 64. to ius *lege* totius
pag. 81. Ra io *lege* Ratio
pag. 90. amiserit *lege* amiserint
pag. 97. di *lege* die
ibid: trig ta *lege* triginta
S anislaus *lege* Stanislaus
fine *lege* fine
pag. 9 grav. *lege* gravibus
Ibid: immob *lege* immobilis
pag. 103. requ: *lege* requie
ibid: intermis *lege* intermissione
ibid. conti uo *lege* continuò
pag. 107. &ci *lege* etsi
pag. 112 sa utis *lege* salutis
pag. 118. Dimerii *lege* Pimerii
ibid: t piditate *lege* tepiditate

pag. 117 dicente *lege* dicentem
Ibidem in Vias *lege* in Vitis

CAPVT III.

pag. 123 Capu *lege* Caput
pag. 126 con pectu *lege* conſpectu
pag. 127 n tum *lege* notum
Ibidem derel nques *lege* derelinques
pag. 126 Apli *lege* Apoſtoli
pag 130 tanta *lege* tantam
Ibidem iberrime *lege* liberrime
pag. 144 f cta *lege* facta
Ibidem ſca dalum *lege* ſcandalum
pag. 149 ulterio *lege* ulterior
Ibidem rratio *lege* ratio
Ibidem Apoſtolor m *lege* Apoſtolorum
pag. 145. profi eris *lege* profiteris
Ibidem I ſtitutum *lege* Inſtitutum
pag. 150 oc urrit *lege* occurrit
pag. 154 uſq; *lege* vg.
pag. 159 conducentuum *lege* conducentium
pag. 160 proficien *lege* proficiendi
pag. 191 fieris *lege* fueris.
pag. 198 A oſtolicis *lege* Apoſtolicis
pag. 199 Moco *lege* Modo
pag. 203 p ætextu *lege* prætextu
Ibidem jubilat sq; *lege* jubilatisq;
pag. 300 juconditatem *lege* jucunditatem
pag. 301 bona nitebatur *lege* bona nitebatur exprimere
pag. 206 Taliter Nonnus *lege* Taliter profecit S. Nonnus
pag. 400 nodum *lege* modum
pag. 407 ex llis *lege* ex illis
pag. 409 f ſtis *lege* feſtis
pag. 411 Apoſtolcæ *lege* Apoſtolicæ

pag.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0005369

